Rabe, Hugo
De theophrasti libris
περι λεξεως

DE THEOPHRASTI LIBRIS

ΠΕΡΙ ΛΕΞΕΩΣ

DISSERTATIO PHILOLOGICA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE IX MENSIS AVGVSTI ANNI MDCCCLXXXX HORA XII PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

HVGO RABE
HANNOVERANVS

ADVERSARII ERVNT

FRIDERICVS KNATZ
HERMANNVS JOACHIM
EDVARDVS NORDEN

BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.
MDCCCLXXXX

FRANCISCO BVECHELERO

HERMANNO VSENERO

Quem Laertius V 47 in Theophrasteorum indice nominat librum περὶ λέξεως $\bar{α}$, cum posterioribus valde fuisse probatum edocemur Theophrastei nominis in his rebus celebritate; ipse quidem liber bis tantum laudatur, Dion. Halic. de comp. verb. 16. 101. 5: εἴρηται δέ τινα περὶ τούτων καὶ Θεοφράστῳ τῷ φιλοσόφῳ κοινότερον ἐν τοῖς περὶ λέξεως, ἔνθα (sic P; καθ' ὃ F*) ὁρίζει τίνα ὀνόματα φύσει καλὰ παραδείγματος ἕνεκα, ὧν συντιθεμένων καλὴν οἴεται καὶ μεγαλοπρεπῆ γενήσεσθαι (PM: γίνεσθαι F) τὴν φράσιν· καὶ αὖθις ἕτερα μικρὰ καὶ ταπεινά, ἐξ ὧν οὔτε ποίημα χρηστὸν (PM: χρήσιμόν F) ἔσεσθαί (om. F) φησιν οὔτε λόγον, et de Lys. 14. 483. 8: Θεόφραστος . . . ἐν τοῖς περὶ λέξεως γραφεῖσι τῶν τ' ἄλλων καταμέμφεται τῶν περὶ τὰς ἀντιθέσεις καὶ παρισώσεις καὶ παρομοιώσεις καὶ τὰ παραπλήσια τούτοις σχήματα διεσπουδακότων καὶ δὴ καὶ τὸν Λυσίαν ἐν τούτοις καταριθμεῖ καὶ τὸν ὑπὲρ Νικίου, τοῦ στρατηγοῦ τῶν Ἀθηναίων, λόγον . . . παρατιθείς κτλ. qui perlegerit ea quae affert Dionysius Theophrasti verba, non poterit negare librum fuisse ampliorem quam testatur Laertius. cum ea tantum afferat Dionysius, quae de Lysia dicta sunt, quanto pluribus Isocrates videtur tractatus esse — τῶν τ' ἄλλων καταμέμφεται — nec non Gorgias. et fuisse plurium librorum opus colligendum est ex Simplicio (in categ., ed. Ven. f. 4 v):

* Codicum lectiones Parisini (P), Florentini (F), Marciani (M) Usener benigne mecum communicavit; Ambrosianum (A) totum Florentinumque ex parte contulit L. Sadaeus (diss. Argentorat. vol. II. 1878). varias lectiones, quae minoris momenti essent, non enotavi omnes. — capitulorum numeris ascripsi in Dionysii locis paginas editionis Reiskianae.

αἱ ἁπλαῖ φωναί, αἱ σημαντικαὶ τῶν πραγμάτων, καθ' ὃ σημαντικαί εἰσιν, ἀλλ' οὐ καθ' ὃ λέξεις ἁπλῶς· καθ' ὃ μὲν γὰρ λέξεις, ἄλλας ἔχουσι πραγματείας, ἃς ἐν τῷ περὶ [τοῦ, delevi] λόγου στοιχείων (sic Meursius pro στοιχείῳ) ὅ τε Θεόφραστος ἀνακινεῖ καὶ οἱ περὶ αὐτὸν γεγραφότες οἷον "πότερον ὄνομα καὶ ῥῆμα τοῦ λόγου στοιχεῖα ἢ καὶ ἄρθρα καὶ σύνδεσμοι καὶ ἄλλα τινά· λέξεως δὲ καὶ ταῦτα μέρη, λόγου δὲ ὄνομα καὶ ῥῆμα· καὶ τίς ἡ κυρία λέξις, τίς δὲ ἡ μεταφορική. καὶ τίνα τὰ πάθη αὐτῆς οἷον τί ἀποκοπή, τί συγκοπή, τί ἀφαίρεσις· τίνες αἱ ἁπλαῖ, τίνες αἱ σύνθετοι, τίνες αἱ ὑποσύνθετοι· καὶ ὅσα τοιαῦτα. καὶ ὅσα περὶ ἰδεῶν εἴρηται· τί τὸ σαφὲς ἐν ταῖς λέξεσι, τί τὸ μεγαλοπρεπές, τί τὸ ἡδὺ καὶ πιθανόν". illum librum eundem esse ac περὶ λέξεως $\bar{\alpha}$, cum non totum argumentum a Simplicio enarrari putaret, coniecit Maximilianus Schmidtius (De Theophrasto rhetore p. 38), rectius Vsener (Analect. Theophrast. p. 9) primum librum eum fuisse Theophrastei operis περὶ λέξεως, cuius etiam in Laertii indice mancum exemplar significatur. illo tempore in libro περὶ λέξεως omnino non potuisse taceri de 'elementis' concedet, qui meminerit grammaticas artes nondum scriptas fuisse. idem factum est in artis rhet. Aristoteleae l. III capitibus primis, art. poet. c. 20 sq.; vel Anaximenem licet afferre. nonne praeterea permirum est, quod in libro de elementis orationis exponitur τί τὸ σαφὲς ἐν ταῖς λέξεσι, τί τὸ μεγαλοπρεπές, τί τὸ ἡδὺ καὶ πιθανόν? quamquam etiam in grammaticis libris agitur de quibusdam verborum virtutibus et vitiis, tamen quid hic sibi velit e. g. τὸ πιθανόν, tum demum intellegitur cum accuratioribus de oratione continua disputationibus illum librum praemissum fuisse ponimus. quoniam quaestionibus praecursoriis, de quibus refert Simplicius, unus liber complebatur, etiam maiore librorum numero reliqua materia tractata fuisse putanda est.

Totius operis Theophrastei argumentum quale fuerit et quomodo dispositum, etiamnunc nisi spes me fallit e compluribus scriptoribus erui potest, dum de eorum diversis consiliis recte iudicemus. initium capiatur a Dionysio

Halicarnasensi, quippe qui prae ceteris dilucide Theophrastei operis dispositionem prodere mihi videatur. de Demosthenis vi oratoria iudicium laturus optime munere fungi sibi visus est, cum qui in singulis dicendi generibus essent laudandi, eorum virtutes et vitia describeret compararetque cum Demosthene. primum igitur — ut nos quidem librum habemus — de tribus elocutionis generibus verba facit. quia de tertio, mixto ex prioribus, Theophrasti iudicium affert, aperte tria illa genera eadem iam Theophrasto probata sunt. tum c. 35—52 de compositione verborum loquitur, primum quem compositionis characterem Demosthenes probarit, tum τίϲι θεωρήμαϲι χρώμενοϲ (47. 1101, 1) singularem illam in componendo vim sibi compararit, denique quomodo Demosthenis compositionem discernere possimus ab aliis. quae tractat inde a c. 53, aliena sunt ab hoc loco. tota illa de compositione pars respondet ad verbum saepe Dionysii de compositione libro in omnibus fere locupletiori, ordine paulum immutato:

de c. v. 10—20	respondet	de Dem.	47—49
„ „ „ 21—24	„	„ „	(35)36—46
„ „ „ 25	„	„ „	50—52

dubium nequit esse, quin, qualis ordo in technico Dionysii de comp. libro est, is omnino adhibendus fuerit in quovis libro technico: ut praecederent quae dicenda erant de elementis compositionis (ῥυθμικὰ καὶ μετρικὰ θεωρήματα; imprimis periodorum doctrina huc facit, de c. v. 2. 9, 9 sq.), sequerentur compositionis genera testimoniis illustrata. — quae libri de c. v. cap. 25 et 26 tractat Dionysius, pleraque iam exposuerat capitibus prioribus; non incommode hisce Dionysius libelli finem facit, tamen in Theophrastea arte propria pars talibus non videtur tribui posse. — de dispositione Dionysius ipse plane et distincte loquitur de c. v. 1. 5, 9: . . . “ϲυμβάλλομαί[1] ϲοι μέλοϲ[2] εἰϲ ἔρωτα”

[1] ϲυμβάλλομέν F [2] μέροϲ codd.; em. Meinekius, Philoxeni versus exprimitur

τὴν περὶ συνθέσεως τῶν ὀνομάτων πραγματείαν ὀλίγοις[1] μὲν ἐπὶ νοῦν ἐλθοῦσαν, ὅσοι τῶν ἀρχαίων ῥητορικὰς ἢ διαλεκτικὰς[2] συνέγραψαν τέχνας, οὐδενὶ δ' ἀκριβῶς οὐδ' ἀποχρώντως μέχρι τοῦ παρόντος, ὡς ἐγὼ πείθομαι. ἐὰν δ' ἐγγένηταί μοι σχολή, καὶ περὶ τῆς ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων ἑτέραν ἐξοίσω σοι[3] γραφήν, ἵνα τὸν λεκτικὸν τόπον τελείως ἐξειργασμένον ἔχῃς. si alteri quam se scripturum promittit parti re vera titulus praefigendus erat περὶ τῆς ἐκλογῆς, iudicii de Dem. pars prima (de elocutionis generibus, c. 1—34) non habet quo referatur. nam quamquam in elocutione primario loco spectatur delectus verborum, tamen ex iud. de Dem. videre licet aliquantum esse orationis continuae*; nisi quis forte

---

[1] ὀλίγοις codd.; οὐκ ὀλίγοις vulg.

[2] διαλεκτικὰς F; καὶ λεκτικὰς P   [3] σοι om. F

* Nimis audacter Altschulius (De Demetrii rhetoris aetate, Lips. 1889. p. 28) contendit iudicii de Dem. primis XXXIV capitibus nil spectari nisi ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων. — ceterum Cornificii liber IV, cuius dispositio et consilium similia sunt Ciceronis Oratori, testimonio est Dionysii λέξεως χαρακτῆρας sic ut ego proposui intellegendos esse, § 10: "bipertita igitur erit nobis elocutionis praeceptio. primum dicemus quibus in generibus verborum (codd. eorum; em. Kayser) semper omnis oratoria elocutio debeat esse; deinde ostendemus, quas res semper habere debeat. sunt igitur tria genera, quae genera nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio non vitiosa consumitur: unam gravem, alteram mediocrem, tertiam extenuatam vocamus. gravis est, quae constat ex verborum gravium et levi et ornata constructione (moneo 'constructionem' non idem esse ac Graecorum ἁρμονίαν!). mediocris est, quae constat ex humiliore neque tamen ex infima et pervulgatissima verborum dignitate sq. in gravi consumetur oratio figura, si quae cuiusque rei poterunt ornatissima verba reperiri, sive propria sive extranea, ad unamquamque rem accommodabuntur, et si graves sententiae, quae in amplificatione et commiseratione tractantur, eligentur, et si exornationes sententiarum aut verborum, quae gravitatem habebunt, de quibus post dicemus, adhibebuntur." deinde § 17 exponitur "quas res debeat habere elocutio commoda et perfecta: sunt elegantia, compositio, dignitas". Cornificii auctorem Theophrastea tradere non ea quidem ex ipso hausta, sed multifariam mutata per multos rivulos accepisse certum mihi est.

figuras Gorgianas, συντομίας virtutem, similia tribuere velit singulorum verborum delectui. itaque quoniam eo quem exscripsi loco Dionysius dicit, quaecumque desiderentur in libro de c. v., se tractaturum esse libro altero (ἵνα τελείως ἐξειργασμένον ἔχῃς), licet fortasse suspicari Dionysium non nimis rem perpendisse. tres igitur quasi gradus licebit statuere in Dionysii vel eius quem secutus est systemate:

I. singula verba spectantur ratione non habita orationis continuae.

II. oratio continua spectatur (e. g. figurae, nec non singula verba!) ratione non habita periodorum, rhythmi, hiatus, similium artificiorum.
(cum loquor de hac parte, verbo 'elocutio' utor.)

III. oratio continua spectatur artificiose composita secundum periodorum, rhythmi, hiatus, similium regulas, ratione necessario saepius habita delectus verborum, figurarum, similium quae sequebantur e rei natura.
(cum loquor de hac parte, verbo 'compositio' utor.)

Restat ut eorum causa moneam quaedam, qui compositionis characteres a Dionysio demum inventos esse contendunt, decepti iactatione eius de c. v. 4. 31, 12: ἔγωγ' οὖν ὅτ' ἔγνων[1] συντάττεσθαι ταύτην τὴν ὑπόθεσιν, ἐζήτουν, εἴ τι τοῖς πρότερον εἴρηται περὶ αὐτῆς καὶ μάλιστα τοῖς ἀπὸ τῆς Στοᾶς φιλοσόφοις εἰδὼς τοὺς ἄνδρας οὐ μικρὰν φροντίδα τοῦ λεκτικοῦ τόπου πεποιημένους[2]· δεῖ γὰρ αὐτοῖς τἀληθῆ μαρτυρεῖν· οὐδαμῇ δ' οὐδὲν[3] εἰρημένον ὑπὸ οὐδενὸς αὐτῆς ὁρῶν τῶν γ' οὖν[3] ὀνόματος ἠξιωμένων οὔτε μεῖζον οὔτ' ἔλαττον εἰς ἣν ἐγὼ προῄρημαι πραγματείαν . . . ταύτης μὲν τῆς πραγματείας ἀπέστην, ἐσκόπουν δὲ αὐτὸς ἐπ' ἐμαυτοῦ γενόμενος κτλ.; ib. 21. 146, 10: ἐγὼ μέντοι κυρίοις ὀνόμασιν οὐκ ἔχων αὐτὰς (loquitur de compositionis generibus) προσαγορεῦσαι ὡς ἀκατονο-

[1] sic F; ὅτε διέγνων PM [2] sic vulg.; τόπουτε ποιημένους P; τόπου ποιουμένους M; λόγου ποιουμένους F [3] sic F; οὐδὲν ὑπ' οὐδενὸς ὁρῶν τῶν γοῦν PM

μάςτους μεταφορικοῖς ὀνόμαςι καλῶ τὴν μὲν αὐςτηράν, τὴν δὲ γλαφυράν [ἢ ἀνθηράν][1], τὴν δὲ τρίτην κοινήν[2]. haec vera non sunt. primum quod ad ἁρμονίαν γλαφυρὰν attinet Demetrius 179 idem gloriatur: οὐδὲ γὰρ τῶν πρὶν εἴρηταί τινι περὶ γλαφυρᾶς ςυνθέςεως. dubium enim non est, quin Demetrius Dionysio usus non sit; huius libri cum rhetorica praecepta per se taedii plena eleganti sermone generatim magis quam ad unum omnia accurate proponant, largam illam Demetrio materiem non poterant praebere, cuius libellus a continua descriptione paene prorsus alienus singula praecepta utut praesto sunt subnectit, exquisitis scriptorum veterum imprimis non solum declamatorum locis refertus. imprimis autem hoc tenendum est apud Demetrium auctores accuratius adhiberi, qui Dionysio quoque suppetebant, Aristotelem et Theophrastum. — deinde, ut priorem Dionysii confirmationem infirmem, Theophrastum, cuius opus περὶ λέξεως affert Dion. de c. v. 16, de hac provincia optime meritum esse cum Cicero testis est, tum ex fragmentis sat multis etiamnunc a nobis perspicitur; de Stoicis loquitur Dionysius; mirum profecto apud hos cum talia requirere! an a vero suo auctore nos abducere voluit bonus Dionysius? — tum trium generum constitutio, tertii praesertim μέςου, Peripateticum prodit; de c. v. 24. 186, 3: ἡ δὲ τρίτη καὶ[3] μέςη τῶν εἰρημένων δυεῖν ἁρμονιῶν . . . δοκεῖ μοι τὰ πρωτεῖα ἐπιτηδεία[4] εἶναι[4] φέρεςθαι, ἐπειδὴ μεςότης μέν ἐςτι[5], μεςότης δὲ ἡ ἀρετὴ καὶ βίων καὶ ἔργων καὶ

---

[1] ἢ ἀνθηράν et hic et 23. 170, 5 (ἡ δὲ γλαφυρὰ καὶ ἀνθηρὰ ςύνθεςις) om. P, male addunt F et epitome. delectus verborum, elocutio sic potest nominari — cf. de Dem. 18. 1007, 15 —, compositio universa nequit; nam de c. v. 22. 150, 3 obiter tanguntur res per se compositionis non propriae, sed quasi accidentes, de quo vide supra pag. 9 sub num. III. [2] κοινήν P; F et epitome et hic et c. 24. 186, 4 habent εὔκρατον [3] καὶ F; τε καὶ P [4] propter hiatum aut εἶναι delendum aut ἐπιτήδειος scribendum videtur [5] μέν ἐςτι P; μέν τις F

τεχνῶν[1] ὡς Ἀριστοτέλει τε δοκεῖ καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσοι[2] κατ' ἐκείνην τὴν αἵρεσιν φιλοσοφοῦσιν. at Dionysius Peripateticorum de μεσότητι doctrina imbutus compositionis primus constituit tria genera! non poterat auctor fieri illius divisionis, qui compositionis primarium fundamentum, rhythmi doctrinam, adeo non perceperat, ut discerptae orationis singulas syllabas diversissimis utut aptum videbatur pedibus infigeret hanc ratus veterum scriptorum artem rhythmicam esse, ut ipsos pedes undique congererent. in Peripateticorum igitur schola fuisse auctorem egregiae illius divisionis quoniam luce clarius est, eo minus dubitabimus in hac re gravissima ipsum Theophrastum nominare, quod posteriores nova vix addidisse Cicero testatur*.

Si comprehendimus, quae colligenda videntur e Dionysii scriptis assumpto Simplicio, Theophrasteum opus quinque partes — 'libros' rectius dixerim — complexum sit**:

I. de orationis elementis (Simplicius l. l.).

II. de oratione continua (de figuris etc.).

III. de orationis generibus.

a. χαρ. ἐξηλλαγμένος καὶ περιττός (Thucydides).

b. λιτός, ἀφελής, ἰσχνός (Lysias).

c. μικτός, μέσος (Isocrates, Plato).

quarto loco ponitur perfectissimus orator, qui complectitur trium illorum virtutes, Demosthenes; quia idem praebet Cicero in Oratore, non dubito hoc quoque tribuere Theophrasto.

IV. de compositione (de periodorum arte; ῥυθμικὰ καὶ μετρικὰ θεωρήματα).

---

[1] καὶ τεχνῶν om F [2] οἳ F

* Nullus contendo Theophrastum primum omnia statuisse, immo certissimum est hanc provinciam egregie praemunitam fuisse a musicis, quae accuratius exponere non huius est loci.

** Librorum numero, quem ego statuo, non nimium tribuo; tamen ne trium librorum opus fuisse crederem contractis partibus II et III in unum librum itemque partibus IV et V, magna materiae copia obstare mihi videbatur.

V. de compositionis generibus*.
  a. χαρ. αὐστηρός (Aeschylus, Pindarus, Thucydides).
  b. γλαφυρός (Hesiodus, Sappho, Anacreon, Isocrates etc.).
  c. μικτός, μέσος, κοινός [εὔκρατος] (Homerus, Stesichorus, Alcaeus, Sophocles, Herodotus, Demosthenes, Plato etc.).

Huius systematis, imprimis distinctionis inter elocutionis et compositionis genera a Theophrasto me iudice institutae si etiam apud alios scriptores certa indicia exstant, non iam difficile poterit esse restituere Theophrasteae περὶ λέξεως doctrinae partes amplissimas.

Ad Ciceronem transeo, in cuius scriptis rhetoricis Peripateticorum vestigia dudum cognoverunt viri docti. qui meminerit, quid Oratore suo efficere voluerit Cicero, non mirabitur, quod solum de elocutionis, non de compositionis tribus generibus loquitur. § 3: "quaeris . . . quod eloquentiae genus probem maxime et quale mihi videatur illud, quo nihil addi possit, quod ego summum et perfectissimum iudicem." (cf. 52.) 68 sq.: "seiunctus igitur orator a philosophorum eloquentia, a sophistarum, ab historicorum, a poetarum explicandus est nobis qualis futurus sit. erit igitur eloquens . . . is qui in foro causisque civilibus ita dicet ut" sq. fusius igitur loquitur de elocutionis tribus generibus, quoniam perfectus orator non est, qui in uno tantum excellit, sed qui humilia subtiliter, alta graviter, mediocria temperate potest dicere (100)**. non hoc qua-

* Operam perdunt, qui putent singula λέξεως genera respondere generibus ἁρμονίας; diversam esse rationem vel inde cognoscitur, quod perfectissimus orator, Demosthenes, illic non annumeratur uni generi, sed tribuuntur ipsi omnia genera, hic ipse assignatur mixto. obstat etiam differentia in natura posita: quae ἁρμονίας χαρακτῆρα efficiunt, arte sunt elaborata; quae λέξεως, ea in verborum natura et vi versantur, non utique ex forma exteriore, quod fit in compositione, sed ex significatione et sensu verborum sententiarumque eveniunt. Demetrio, qui responsionem quaesivit, quam non successerit res, infra videbimus.

** Dion. de Dem. 33. 1059,4: τοῦτον (Demosthenem) δὲ ἑνὸς

drat in compositionem: quia perfectus orator mixto compositionis genere utitur. Ciceroni opus non erat in Oratore suo describere cύνθεcιν αὐcτηρὰν et γλαφυράν. rem apertissimam insuper Ciceronis verbis illustrabo. 37: "laudationum [scriptionum, del. Sauppius] et historiarum et talium suasionum, qualem Isocrates fecit Panegyricum multique alii qui sunt nominati sophistae, reliquarumque rerum formam, quae absunt a forensi contentione, eiusque totius generis, quod Graece ἐπιδεικτικὸν nominatur, quia quasi ad inspiciendum delectationis causa comparatum est, non complectar hoc tempore. — 40. ⟨Isocrates⟩ primus instituit dilatare verbis et mollioribus numeris explere sententias. — 42. dulce igitur orationis genus et fluens (Orellius; codd.: effluens) sententiis argutum verbis sonans est in illo epidictico genere, quod diximus proprium sophistarum, pompae quam pugnae aptius . . . spretum et pulsum foro." repelli igitur etiam cυνθέcεωc χαρακτῆρα γλαφυρὸν satis significat Cicero; et αὐcτηρὸν excludi, ex iis, quae de Thucydidis compositione legimus, apparet. 234: "in Thucydide orbem modo orationis desidero, ornamenta comparent." 32: "cum mutila quaedam et hiantia locuti sunt . . . germanos se putant esse Thucydidas." 40: "Thucydides ⟨Isocrati videbatur⟩ praefractus nec satis ut ita dicam rotundus."

μὲν οὐδενὸc ἀποφηνάμενοc οὔτε χαρακτῆροc οὔτ' ἀνδρὸc ζηλωτὴν γενέcθαι, ἐξ ἁπάντων δὲ τὰ κράτιcτα ἐκλεξάμενον . . . διελόμενοc μὲν τὴν λέξιν εἰc τρεῖc χαρακτῆραc τοὺc γενικωτάτουc, τόν τε ἰcχνὸν καὶ τὸν ὑψηλὸν καὶ τὸν μεταξὺ τούτων, ἀποδεικνὺc δ' αὐτόν ἐν τοῖc τριcὶ κατορθοῦντα τῶν ἄλλων μάλιcτα κτλ. — quod Cicero non ad verbum consentit cum Dionysio, necessario sequitur e rei natura: Theophrastus in universum elocutionis genera tractarat, Cicero oratores tantum et eos quidem, qui in foro causisque civilibus versarentur, spectavit. num praeterea interdictum erat Ciceroni, cum praesertim alind consilium sequeretur, etiam de suo quaedam addere? Ammonem (De Dionysii fontt., Monach. 1889. p. 56), qui Ciceronis mediocre oratorum genus maxime accedere dicit ad id, quod Dionysius in compositione (sic!) γλαφυρὸν vocavit, refutare supervacaneum est.

Optime igitur quae in Ciceronis Oratore leguntur — admodum pauca si totam provinciam spectamus — modo finis in eo scribendo propositi ne obliviscamur, modo recordemur imprimis multa tractari in eo libro, quae ad λεκτικὸν τόπον non spectent, quadrant in ea, quae ex Dionysii scriptis Theophrasteo operi videbantur vindicanda esse.

Vnum superest: ipsumne Theophrasti librum περὶ λέξεως adhibuit Cicero? ecquid de Aristotelis arte rhetorica sumpsit?* Aristotelis Theophrastique librorum praeter dialogos ne unum quidem a Cicerone vel inspectum esse necessario sequitur ex iis, quae de illorum sermone dicit. loci de Aristotelis sermone praeter unum omnes eiusmodi sunt, ut referantur ad dialogos, quorum suavitatem et ornatum identidem apud veteres scriptores laudata invenimus. non multum proficimus ex locis, quorum est Cic. acad. pr. II 119 "flumen orationis aureum fundens Aristoteles", afferam igitur locos, quibus eius de Aristotelis sermone iudicium coniunctum legimus cum rebus a dialogorum argumento alienis. occupatus est Cicero in conscribendis de oratore libris: num potuit, si apposita fuisset scribenti Aristotelis ars rhetorica, de sermone in universum iudicare hoc modo (de or. I 49): "si item Aristoteles, si Theophrastus, si Carneades in rebus iis, de quibus disputaverunt, eloquentes et in dicendo suaves atque ornati fuerunt" sq.? aperte haec Cicero de dialogis tantum dicta vult; artem rhet.** Aristotelis si vel cursim inspexisset, certe generale illud iudicium hoc loco non tulisset. — de fin. V 11, postquam Antiochum secutus auctorem Peripateticorum, Aristotelis sc. et Theophrasti, studia summatim percensuit, addit: "atque

---

* Jentsch, Aristotelis ex arte rhet. quid habeat Cicero; Berol. 1866.

** Madvicus (Cic. de fin., excurs. VII p. 840[3]) nimium Ciceroni tribuit, quod nihilo setius rhetorica Aristotelis scripta ⟨nec non Topica⟩ ipsum legisse putat; ars rhetorica, si quid video, inter Aristoteleos libros nobis servatos certe non est intellectu facillimus, ut taceam de suavitate. de Topicis infra dicam.

his de rebus et splendida est eorum et illustris oratio"; quamquam ad scripta, de quibus locutus est, etiam dialogi pertinent, tamen plurima sunt aut ἀκροαματικὰ aut ὑπομνηματικά, in quae quam non quadrent illa satis monui. — ubi comparat Aristoteleum sermonem cum Theophrasteo, hunc paene praefert; nam ad scribendi genus referendum videtur, quod legimus de fin. I 6 "Theophrastus mediocriterne delectat, cum tractat locos ab Aristotele ante tractatos?"; libri nobis servati profecto non praebent eam speciem. de dialogis igitur utriusque hic quoque solis cogitat, ad dialogos referenda sunt, quaecumque de Theophrasti suavitate profert, ad dialogos spectat, quotiens vim Aristoteleam laudibus effert; Cic. Brut. 121: "quis Aristotele nervosior, Theophrasto dulcior?". iam adest Ciceroniani Hortensii (a. XXXXV. a. Chr.) fragmentum (apud Nonium p. 264, 15) "magna etiam animi contentio adhibenda est explicando Aristoteli, si legas", quod iudicium bene quadrat in libros acroamaticos nobis servatos. nihilo setius negandum est Ciceronem unquam eos inspexisse; Vsener enim me monuit Ciceronem aperte ex Attico comperisse Aristotelis libris acroamaticis illo ipso tempore vel paulo ante a Tyrannione publici iuris factis magnam animi contentionem adhibendam esse, si quis legere vellet. quod de fin. V 11 (vide supra) ne verbo quidem illud respicitur, mirum non est: Ciceronis non erat multum deliberare, cum exscriberet compendia philosophica. — sunt tamen loci, qui possint dubitationem movere. Topica enim Aristotelea novisse videtur; top. 1 sq. (ad Trebatium): "cum enim mecum in Tusculano esses et in bibliotheca separatim uterque nostrum ad suum studium libellos quos vellet evolveret, incidisti in Aristotelis Topica quaedam, quae sunt ab illo pluribus libris explicata. qua inscriptione commotus continuo a me librorum eorum sententiam requisisti . . . cum autem ego te non tam vitandi laboris mei causa, quam quia tua id interesse arbitrarer, vel ut eos per te ipse legeres vel ut totam rationem a doctissimo quodam rhetore acciperes,

hortatus essem, utrumque, ut ex te audiebam, es expertus. sed a libris te obscuritas reiecit. rhetor autem ille magnus haec, ut opinor Aristotelea, se ignorare respondit. quod quidem minime sum admiratus cum philosophum rhetori non esse cognitum, qui ab ipsis philosophis praeter admodum paucos ignoraretur." fortasse erant Topica Aristotelea in Ciceronis bibliotheca; ne quis credat Ciceronem ea legisse: compendio uti solebat. audiatur ipse: ad fam. VII 19 "itaque ut primum Velia navigare coepi, institui topica Aristotelea conscribere"; top. 5 "itaque haec, cum mecum libros non haberem, memoria repetita in ipsa navigatione conscripsi tibique ex itinere misi." quantam operam in Aristotelis librum impendisse putandus est*! facile puto intellegimus, qui factum sit, ut in ipsorum Topicorum exordio (§ 3) laudet Aristotelis libros propter "dicendi incredibilem quandam cum copiam, tum etiam suavitatem". — alio loco, qui est de or. II 160 "... Aristotelem, cuius et illum legi librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum et illos, in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixit...", eo facilius lenem iactationem Ciceroni condono, quod Antonium illa dicentem facit. — de fin. III 10: "tum ille ⟨M. Cato⟩: tu autem, cum ipse tantum librorum habeas, quos hic ⟨in bibliotheca Luculli⟩ tandem requiris? commentarios quosdam, inquam, Aristoteleos, quos hic sciebam esse, veni ut auferrem, quos legerem, dum essem otiosus". num quis talibus certiora illa argumenta putat infirmari? nam ut concedam Ciceronem cogitare de Aristotelis acroamaticis, quippe quae de fin. V 12 ab exotericis distinguat, scimus opinor, unde illam scientiam habeat.

Tertius est Demetrius, auctor libri περὶ ἑρμηνείας**.

---

* Dudum cognitum est, quam pauca ex Aristotelis Topicis reperiantur in Cicerone; cf. J. Mueller, Jahresbericht für d. Fortschritte der klass. Altertumswiss. 1880. 2, 218 sq.

** Quin Demetrius ante primum post Chr. saeculum non

hoc loco ea tantum exponam, quae facere mihi videantur ad Theophrastei operis argumentum adumbrandum. — § 36: εἰςὶ δὲ τέτταρες οἱ ἁπλοῖ χαρακτῆρες, ἰςχνός, μεγαλοπρεπής, γλαφυρός, δεινός, καὶ λοιπὸν οἱ ἐκ τούτων μιγνύμενοι. elocutionis characteres Theophrastei facile apud Demetrium reperiuntur: ἰςχνὸς χαρακτὴρ aperte idem utrobique est, μεγαλοπρεπὴς Demetrii idem ac Dionysii ὑψηλὴ καὶ περιττὴ λέξις; abest medium genus, quoniam de simplicibus tantum loqui constituit Demetrius (36). sed quid reliquis, γλαφυρῷ et δεινῷ, faciemus? quia fructum non percipimus ex iis, quae Demetrius dicit (36 et 37) de auctoribus suis, res ipsae examinandae sunt. Liersius (Fleckeisen's Jahrb. 1887, p. 692) recte observavit Demetrium, quae in describendi γλαφυροῦ χαρακτῆρος prima parte (περὶ χαρίτων, quam a 128 ad 172 pertinere censeo) proferret, petivisse e Peripateticorum antiquissimorum libris περὶ χαρίτων, περὶ γελοίων, unde factum esse mirum in hac parte ordinem. in his enim libris bipertitam fuisse materiam probari tractatu περὶ κωμῳδίας: γίνεται δὲ ὁ γέλως 1) ἀπὸ τῆς λέξεως, 2) ἀπὸ τῶν πραγμάτων. Demetrius igitur cum in ceteris characteribus tres faceret partes, ἐν πράγμαςιν, ἐν λέξει, ἐν ςυνθέςει, in hoc primum (§§ 128—172) acturus erat de rebus, sed nihilo setius ibi etiam de elocutione copiosissime egit. deinde 173—178 de elocutione loquitur, tum 179—185 de compositione. cuius farinae scriptor id commisisse putandus est, ut, cum subito insuper adhibendus esset liber quidam alio consilio scriptus, consilii inops exscriberet eum non mutato eius ordine, quamvis ipsius dispositio perturbaretur? certe non Phalereus ille Liersii. subnectam statim pauca, quae in ceterorum characterum singulis partibus offendunt: μεγαλοπρεπὴς 38—113; duabus paragraphis (75—76) tractatur τὸ ἐν πράγμαςι μεγαλοπρεπές. — ἰςχνὸς 190—222 (omittenda est commentatio περὶ ἐπιςτολικοῦ χαρακτῆρος 223—235); ne una quidem tota

scripserit, dubitari nequit; cf. Altschulius, De Demetrii rhetoris aetate, Lips. 1889.

paragraphus (190) data est τῷ ἐν πράγμασιν ἰσχνῷ. — δεινὸς 240—301; τὸ ἐν πράγμασι δεινὸν paragrapho 240 tractatur. in his igitur tribus characteribus non habebat, quae scriberet de rebus, in γλαφυρῷ felici casu suppetebat liber, quem exscriberet — quid similius est veri, quam quae praebet ad λέξιν et ad σύνθεσιν illustrandas omnia praeter inepte excogitata et praeter exempla pauca eum debere ipsa quoque scriptori cuidam de his satis copioso, sed de his solis, non de rebus? nam ipse si quantulumcumque boni excogitasset, profecto etiam ut de rebus plura praeberet ab ingenio suo impetrasset.

Quartum Demetrii charactera accuratius inspiciamus: quid quaeso est eius δεινότης? ultimum ei locum tribuit: sic Dionysius Demosthenem, τὸν τοῦ λέγειν δεινότατον, qui ex omnibus dicendi generibus optima elegit, quarto loco describit, post ὑψηλόν, ἰσχνόν, μέσον; Cicero (or. 99) postquam verba fecit de summisso, de temperato, denique de copioso gravique oratore, quarto loco tractat e l o q u e n t e m "qui et humilia subtiliter et alta graviter et mediocria temperate potest dicere"; Hermogenes post ceteras ideas exponit δεινότητα, II 338 Sp: ἡ δεινότης ἡ περὶ τὸν λόγον ἔστι μὲν κατ' ἐμὴν γνώμην . . . χρῆσις ὀρθὴ πάντων τῶν τε προειρημένων εἰδῶν τοῦ λόγου καὶ τῶν ἐναντίων αὐτοῖς κτλ. talis Demetrii quoque δεινότης primo obtutu videtur esse: Demosthenes in hoc charactere plus decies laudatur, in ceteris ni fallor duobus tantum locis et uno quidem (80) tali, qui non cohaereat cum charactere, de quo ibi agitur (de metaphoris, 78—90); praeterea multa repetuntur, quae dicta erant de prioribus characteribus (cf. 240 et 75; 241—242 et 102; 243 et 222 et 99; 253—254 et 264 et 222; 257 et 121; 259 et 170; 262 et 128 et 130 et 152, etc.); egregie etiam quadrant verba πειρᾶσθαι δὲ τὰ ὀνόματα πρεπόντως λέγειν τοῖς πράγμασιν (276), quippe quod non unius characteris sit, sed omnium, imprimis autem perfecti illius (cf. etiam Hermog. II 396 Sp) — iam deficiunt, quae congruant: addit Demetrius οἷον ἐπὶ μὲν τοῦ βίᾳ καὶ πανουργίᾳ

δράcαντος διεβιάcατο, ἐπὶ δὲ τοῦ βίᾳ καὶ φανερῶς καὶ μετὰ ἀπονοίας ἐξέκοψεν, ἐξεῖλεν, ἐπὶ δὲ τοῦ δολίως καὶ λαθραίως ἐτρύπησεν ἢ διέφαγεν ἢ εἴ τι τοιοῦτον πρόσφορον τοῖς πράγμασιν ὄνομα. communem elocutionis virtutem Demetrius minus apte suae δεινότητι assimilat. voluit igitur hunc characterem eundem esse ac σφοδρότητα (7. 241. 274); λοιδορίαν (241. 288. 301), ἔκπληξιν (283), ὀνειδισμὸν (289) ei tribuit, omnino vehementem eum esse identidem prodit, ne multa: quivis videt Demetrii δεινότητα idem fere esse, atque Hermogenis τραχύτητα et σφοδρότητα, quae utraque habet ἐννοίας ἐπιτιμητικὰς καὶ ἐλεγκτικάς (II 301 Sp). itaque forsitan habeat quo commendetur coniectura Demetrium addidisse quartum illum characterem, cum in vetere elocutionis characterum systemate τὸν τοῦ λέγειν δεινότατον ultimo ⟨quarto⟩ loco tractatum videret; auctor eius, quippe qui esset Peripateticus, monuisse videtur in foro saepe opus esse ira et accusatori et defendenti (cf. Cic. or. 128 sq.; tusc. IV 43; Sen. de ira II 17; Philod. de ira p. 113 Gomp.). iam vero Demetrius, cui displicerent veterum recentiumque de perfecto oratore praecepta, cui vocis δεινότης propria significatio valde probaretur, in hoc genere posuit ea, quae in contumeliis gravibus, in facetiis acerbis versarentur, quae facerent ad a s p e r a m orationem. sed utut hoc se habet, unum puto satis elucere: qui placide tractat eum scriptorem, nihil proficiet; cultro secandus est, ut vetera et genuina emergant.

Fuit altero p. Chr. saeculo Demetrius quidam, rhetor ignobilis. cum librum scribere sibi proposuisset περὶ ἑρμηνείας, perscrutatus infelicis ingenii subsidia librum quendam veterem Peripateticorum περὶ λέξεως praecepta complectentem elegit, quippe qui et doctrina exquisitaque copia ceteris quos norat libris — haud ita multi erant — praestaret et ipsi quaedam novanda relinquere videretur. actum ibi legebat e. g. de elementis orationis; de continua oratione, de elocutionis generibus; de periodis, rhythmo, ceteris compositionis elementis, de compositionis generibus.

illa omnia nimis dissipata sub uno conspectu ponenda erant. distinguere inter elocutionis et compositionis genera nonne supervacaneum? cum in singulis characteribus partes fierent tres, ἐν πράγμαϲιν, ἐν λέξει, ἐν ϲυνθέϲει, facilis erat coniunctio. quattuor igitur characteribus cum omnia se complecti posse putaret, prooemii loco (1—35) posuit, quae de periodis, membris, incisis, eiusmodi rebus dicenda essent. tum μεγαλοπρεπῆ χαρακτῆρα aggressus est: ex tribus compositionis generibus egregie sublimitati conveniebat ἁρμονία αὐϲτηρά. pauca exscribo, ut appareat Demetrii ϲύνθεϲιν μεγαλοπρεπῆ eandem esse ac Dionysii αὐϲτηράν. Demetr. 40. 48 Thucydides ei compositionis generi assignatur; cf. Dion. de c. v. 22. 150, 11. — Dem. 40: ἡ τοῦ ῥυθμοῦ μακρότηϲ; Dion. de c. v. 22. 148, 15: τοὺϲ ῥυθμοὺϲ τοὺϲ ἀξιωματικοὺϲ καὶ [τοὺϲ][1] μεγαλοπρεπεῖϲ ἐκλέγεται[2]. — Dem. 45: ϲύμπαϲα γὰρ ἡ τοιαύτη μεγαλοπρέπεια ἐκ τῆϲ περιαγωγῆϲ γέγονεν καὶ ἐκ τοῦ μόγιϲ ἀναπαῦϲαι αὐτόν τε καὶ τὸν ἀκούοντα; Dion. de c. v. 22. 149, 11: οὐδὲ ⟨ϲπουδὴν ἔχει⟩ ἵνα τῷ πνεύματι τοῦ λέγοντοϲ[3] ὦϲιν αὐτάρκειϲ ϲυμμετρούμεναι ⟨αἱ περίοδοι⟩. — Dem. 55: τοῖϲ δὲ παραπληρωματικοῖϲ ϲυνδέϲμοιϲ χρηϲτέον οὐχ ὡϲ προϲθήκαιϲ κεναῖϲ καὶ οἷον προϲφύμαϲιν ἢ παραξύϲμαϲιν ... ἀλλ' ἐὰν ϲυμβάλλωνταί τι τῷ μεγέθει τοῦ λόγου; Dion. de c. v. 22. 149, 8: οὔτε προϲθήκαιϲ τιϲὶν ὀνομάτων ἵνα ὁ κύκλοϲ ἐκπληρωθῇ μηδὲν ὠφελούϲαιϲ τὸν νοῦν χρωμένη. — Dem. 72: ἐν δὲ τῷ μεγαλοπρεπεῖ χαρακτῆρι ϲύγκρουϲιϲ παραλαμβάνοιτ' ἂν πρέπουϲα ἤτοι διὰ μακρῶν ὡϲ τὸ "λᾶαν ἄνω ὤθεϲκε"· καὶ γὰρ ὁ ϲτίχοϲ μῆκόϲ τι ἔϲχεν ἐκ τῆϲ ϲυγκρούϲεωϲ καὶ μεμίμηται τοῦ λίθου τὴν ἀναφορὰν καὶ βίαν; Dion. de c. v. 20. 139, 10 (agitur περὶ τοῦ πρέποντοϲ): πῶϲ οὖν δηλώϲει ταῦτα μιμητικῶϲ καὶ κατ' αὐτὴν τὴν ϲύνθεϲιν τῶν ὀνομάτων, ἄξιον ἰδεῖν. "... λᾶαν ἄνω ὤθεϲκε ποτὶ λόφον". ἐνταῦθα ἡ ϲύνθεϲίϲ ἐϲτιν ἡ δηλοῦϲα τῶν γινομένων ἕκαϲτον, τὸ βάροϲ τοῦ πέτρου, τὴν ἐπίπονον ἐκ τῆϲ γῆϲ κίνηϲιν, ... τὴν μόγιϲ ἀνωθουμένην πέτραν ... τῶν φωνηέντων γραμμάτων[4] ϲυγκρουο-

[1] τοὺϲ om. F [2] ἐκλέγεται om. F [3] sic FM; δέοντοϲ P
[4] γραμμάτων PF; om. M

μένων; de e. v. 22. 148, 5: τραχείαις τε χρῆσθαι πολλαχῇ καὶ ἀντιτύποις ταῖς συμβολαῖς οὐδὲν αὐτῇ διαφέρει.

Pars II: ἐν πράγμασι, 75—76.

Pars III: ἐν λέξει, 77—113. opus non est monstrare fontem. tantum moneo in hac parte non agi de solo verborum delectu, sed etiam de oratione continua. sic 99 sq. de allegoria verba fiunt, de qua audiamus Ciceronem, or. 94: "iam cum fluxerunt continuae plures tralationes, alia plane fit oratio; itaque genus hoc Graeci appellant ἀλληγορίαν nomine recte, genere melius ille ⟨Aristoteles⟩, qui ista omnia tralationes vocat." in artis rhet. Aristoteleae libro III iam nequit mirum esse, quod bis tractantur tralationes: primum ubi de elementis tantum agitur, c. 2—4, tum ubi de oratione continua, c. 10—12. deinde ἐπιφώνημα, quod tractat Demetrius 106 sq., quam maxime pertinet ad continuam orationem.

Deinde tractat vitiosum characterem sublimi vicinum 114: πρῶτα δὲ περὶ τοῦ γειτνιῶντος τῷ μεγαλοπρεπεῖ λέξομεν. eodem modo loquitur Dion. de Thuc. 3. 815, 2: μὴ τὰς ἀρετὰς λέγεσθαι μόνον ἀλλὰ καὶ τὰς γειτνιώσας αὐταῖς κακίας. sed nullum vestigium est apud Dionysium characterum vitiosorum, est tantum singulorum vitiorum, i. e. qualitatum. et ex iis, quae sequuntur apud Demetrium, ὁρίζεται δὲ τὸ ψυχρὸν Θεόφραστος οὕτω· ψυχρόν ἐστι τὸ ὑπερβάλλον τὴν οἰκείαν ἀπαγγελίαν, licet colligere characterem ψυχρὸν Theophrasto ignotum fuisse; nam qualitatis tantum definitio illa est. — 114: ὥσπερ δὲ παράκειται φαῦλά τινα ἀστείοις τισίν, οἷον θάῤῥει μὲν τὸ θράσος, ἡ δ' αἰσχύνη τῇ αἰδοῖ, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τῆς ἑρμηνείας τοῖς χαρακτῆρσι παράκεινται διημαρτημένοι τινές. cum his compara Arium Didymum Stobaei ecl. II 142, 15 W (᾿Αριστοτέλους καὶ τῶν λοιπῶν Περιπατητικῶν): τῶν δὲ παθῶν καὶ ὁρμῶν τὰ μὲν εἶναι ἀστεῖα, τὰ δὲ φαῦλα, τὰ δὲ μέσα. ἀστεῖα μὲν φιλίαν, χάριν, νέμεσιν, αἰδῶ, θάρσος, ἔλεον· φαῦλα δὲ φθόνον, ἐπιχαιρεκακίαν, ὕβριν· μέσα δὲ λύπην, φόβον, ὀργήν, ἡδονήν, ἐπιθυμίαν. — 116 ψυχρὸν ἐν λέξει: laudatur Aristoteles. — 122 ἔφορος ἐν Λακεδαίμονι τὸν περιέργως καὶ

οὐκ ἐπιχωρίως cφαιρίcαντα ἐμαcτίγωcεν· τούτῳ γὰρ αὐτόθεν μικρῷ ἀκουcθῆναι ὄντι ἐπιτραγῳδοῦμεν ὡc οἱ τὰ μικρὰ πονηρὰ ἔθη ἐῶντεc ὁδὸν τοῖc μείζοcι πονηροῖc ἀνοιγνύουcιν. καὶ ὅτι ἐπὶ τοῖc μικροῖc παρανομήμαcι χρὴ κολάζειν μᾶλλον, οὐκ ἐπὶ τοῖc μεγάλοιc· καὶ τὴν παροιμίαν ἐποίcομεν[1] ἀρχὴ δέ τοι ἥμιcυ παντόc, ὡc ἐοικυῖαν τοῦτο cμικρῷ[2] κακῷ. ἢ καὶ ὅτι οὐδὲν κακὸν μικρόν ἐcτιν. illa e medio Peripato oriri edocemur Aristotelis Politicorum locis, 1303 b 26: διόπερ ἀρχομένων εὐλαβεῖcθαι δεῖ τῶν τοιούτων καὶ διαλύειν τὰc τῶν ἡγεμόνων καὶ δυναμένων cτάcειc· ἐν ἀρχῇ γὰρ γίνεται τὸ ἁμάρτημα, ἡ δ' ἀρχὴ λέγεται ἥμιcυ εἶναι παντόc, ὥcτε τὸ ἐν αὐτῇ μικρὸν ἁμάρτημα ἀνάλογόν ἐcτι πρὸc τὰ ἐν τοῖc ἄλλοιc μέρεcιν. 1307 b 30: ἐν μὲν οὖν ταῖc εὖ κεκραμέναιc πολιτείαιc ὥcπερ ἄλλο τι δεῖ τηρεῖν, ὅπωc μηδὲν παρανομῶcι καὶ μάλιcτα τὸ μικρὸν φυλάττειν· λανθάνει γὰρ ὑπειcδύουcα ἡ παρανομία. — denique verbo moneo, quae 120 de decoro sunt dicta, ea prorsus facere cum Arist. art. rh. 1408 a 10, quae 124 sq., cum art. rh. 1413 a 19 sq.

Χαρακτὴρ γλαφυρόc. I. περὶ χαρίτων.

II. de verbis (173—178). quam de verborum pulchritudine affert Theophrasti definitionem, ea ab ipso demum in hunc conexum lata est: ὡρίcατο δ' αὐτὰ Θεόφραcτοc οὕτωc· κάλλοc ὀνόματόc ἐcτι τὸ πρὸc τὴν ἀκοὴν ἢ πρὸc τὴν ὄψιν ἡδὺ ἢ [τὸ, delevi] τῇ διανοίᾳ ἔντιμον. ultima non minus ad sublimem quam ad elegantem characterem — ut taceam de medio — spectare luce est clarius; Theophrastus igitur in hoc compositionis genere monuisse putandus est verba pulchra esse adhibenda, definitio autem pulchritudinis ibi ab eo data erat, ubi egit de verborum virtutibus. — 176: παρὰ δὲ τοῖc μουcικοῖc λέγεταί τι ὄνομα λεῖον

---

[1] cod.: ἐποιηcάμην, Schenklio teste; em. Hemsterhusius

[2] sic cod. Paris. m. pr.; τούτῳ τῷ cμικρῷ m. alt.; Schenklius: οὕτωc μικρῷ; ego non expedio, fortasse sensus postulatur idem qui Arist. Pol. 1303 b 30: ὡc ἐοικυίαc τῆc ἀρχῆc τοῦτο [sc. quod attinet ad τὸ ἥμιcυ εἶναι παντόc] cμικρῷ κακῷ

καὶ ἕτερον τὸ τραχὺ καὶ ἄλλο εὐπαγὲς καὶ ἄλλο ὀγκηρόν. unde haec? versabatur ἁρμονία non ultimo loco in singulis verbis componendis; Dion. de c. v. 23. 171, 6 (σύνθεσις γλαφυρά): ὀνόματα εὔφωνα, λεῖα, μαλακά, παρθενωπά; Demetr. 178: τῶν δὲ εἰρημένων ὀνομάτων τὰ λεῖα μόνον ληπτέον ὡς γλαφυρόν τι ἔχοντα. cum non exstaret apud auctorem suum elocutionis χαρακτὴρ γλαφυρός — ipsa nominis γλαφυρὸς significatio obstat, ne de mera elocutione cogitemus, qualem pag. 9 descripsi —, ex iis, quae de ἁρμονίᾳ γλαφυρᾷ dicta inveniebat, separavit, quae ad singula verba faciebant.

III. 179—185 σύνθεσις γλαφυρά. mirari debemus, quod Demetrius hoc loco praecipit ἁρμόζειν ἐκ μέτρων τὴν σύνθεσιν ἢ ὅλων ἢ ἡμίσεων; prave igitur veterum de rhythmo praecepta intellexit. et ipse se prodit, cum pergit: κἂν μετροειδῆ δὲ ᾖ, τὴν αὐτὴν ποιήσει χάριν, nullo exemplo allato illorum ὅλων ἢ ἡμίσεων μέτρων. — 183: Πλάτων μέντοι ἐν πολλοῖς αὐτῷ τῷ ῥυθμῷ γλαφυρός ἐστιν ἐκτεταμένῳ (ἐκτεταμένος cod.; em. Victorius) πως καὶ οὔτε ἕδραν ἔχοντι οὔτε μῆκος. mire dicta sunt αὐτῷ τῷ ῥυθμῷ γλαφυρός ἐστιν, sed dixit sic Demetrius. cf. Dion. de c. v. 23. 170, 6: οὐ ζητεῖ ⟨ἡ γλαφυρὰ σύνθεσις⟩ καθ' ἓν[1] ἕκαστον ὄνομα ἐκ περιφανείας ὁρᾶσθαι οὐδὲ ἐν ἕδρᾳ πάντα βεβηκέναι πλατείᾳ τε καὶ ἀσφαλεῖ οὐδὲ μακροὺς τοὺς μεταξὺ αὐτῶν εἶναι χρόνους. ut hic nihil praecipit Demetrius de periodorum compositione, sic exempla tantum affert illius ὀνομάτων ἁρμονίας. mirum est, quod de periodis tacet, quippe in quas necessario contrarium quadret, cf. Dion. de c. v. 23. 172, 4: τῶν περιόδων τὰς τελευτὰς εὐρύθμους εἶναι βούλεται καὶ[2] βεβηκυίας ὡς [ἂν][3] ἀπὸ στάθμης, τἀναντία ποιοῦσα ἐν ταῖς τούτων ἁρμογαῖς ἢ ταῖς τῶν ὀνομάτων. sed opinor iam cognovimus Demetrium. — reliquum est, ut agam de eius compositionis apud Dionysium Demetriumque auctoribus diversis. Dem. 181: κἂν μετροειδῆ δὲ ᾖ, τὴν αὐτὴν ποιήσει χάριν. λανθανόντως δέ τοι

[1] ἓν om. F [2] καὶ om. P [3] ἂν om. P

παραδύεται ἡ ἐκ τῆς τοιαύτης ἡδονῆς χάρις, καὶ πλεῖστον τὸ τοιοῦτον εἶδός ἐστι παρὰ τοῖς Περιπατητικοῖς καὶ παρὰ Πλάτωνι καὶ παρὰ Ξενοφῶντι καὶ Ἡροδότῳ, τάχα δὲ καὶ παρὰ Δημοσθένει πολλαχοῦ· Θουκυδίδης μέντοι πέφευγε τὸ εἶδος. Dionysius huic generi scriptores tribuit pedestris orationis Isocratem, Ephorum, Theopompum. quare, clamant omnes, Isocratem non affert Demetrius? facilem explicationem dat Dionysius, de c. v. 19. 133, 1: καὶ ἔστι λέξις κρατίστη πασῶν ... ὅταν τουτὶ μὲν ἐν περιόδῳ λέγηται, τουτὶ δ' ἔξω περιόδου ... ῥυθμοί τ' ἄλλοι καὶ σχήματα παντοῖα ... ἔχει δέ τινα χάριν ἐν τοῖς τοιούτοις καὶ τὸ οὕτω συγκείμενον ὥστε μὴ συγκεῖσθαι δοκεῖν (cf. etiam Demetr. 180) ... παράδειγμα δ' αὐτῆς ποιοῦμαι πᾶσαν μὲν τὴν Ἡροδότου λέξιν, πᾶσαν δὲ τὴν Πλάτωνος, πᾶσαν δὲ τὴν Δημοσθένους ... ἀλλ' οὐχ ἥ γε[1] Ἰσοκράτους καὶ τῶν ἐκείνου[2] γνωρίμων αἵρεσις ὁμοία ταύταις ἦν· ἀλλὰ καίπερ ἡδέως καὶ μεγαλοπρεπῶς πολλὰ συνθέντες οἱ ἄνδρες οὗτοι, περὶ τὰς μεταβολὰς καὶ τὴν ποικιλίαν οὐ πάνυ εὐτυχοῦσιν· ἀλλ' ἔστι παρ' αὐτοῖς εἷς περιόδου κύκλος, ὁμοειδὴς σχημάτων τάξις, συμπλοκὴ φωνηέντων ἡ αὐτή κτλ.

Demetrius igitur apud auctorem suum vituperatam vidit Isocratis compositionem, laudatam Herodoti, Platonis, aliorum. iam vero cum ipse (§ 36) de simplicibus tantum generibus loqui sibi proposuisset, omissa Isocratis Isocrateorumque vitiosa compositione eos viros, quos auctor eius mixtae compositioni tribuit, assignavit τῇ γλαφυρᾷ ἁρμονίᾳ*; neque enim obstabat Demetriana illius compositionis definitio (180. 181).

Χαρακτὴρ κακόζηλος (186—189) constitutus certe non est a Theophrasto, singula autem videntur Theophrastea esse.

---

[1] οὐχ ἥ γε P; οὐχὶ ἡ F; οὐχ ἡ epit. [2] ἐκείνῳ P; ἐκείνου F, epit.

* Egregie sibi constat Demetrius: § 37 Platonem, Xenophontem, Herodotum mixto charactere uti dicit, de mixtis non est locuturus, γλαφυρᾷ ἁρμονίᾳ ipsos illos assignat.

Χαρακτὴρ ἰcχνόc, 190—235. non posse cogitari ἰcχνὴν cύνθεcιν (204 sq.) cum per se stet, tum Dionysius auctor est, qui eam non novit. itaque quaecumque de ea praecipit Demetrius, cum auctor eum deficeret, ipsi addenda erant: adiit genus sublime; quae sublimis compositionis regulae erant, iis contrariae aptae erant summissae. 204: φεύγειν τὰ μήκη τῶν κώλων — μεγαλοπρεπὲc γὰρ πᾶν μῆκοc. 206: ἐχέτω ἕδραν ἀcφαλῆ τῶν κώλων τὰ τέλη — αἱ γὰρ κατὰ τὰ τελευταῖα ἐκτάcειc μεγαλοπρεπεῖc. 207: φευκτέον τὰc τῶν μακρῶν cτοιχείων cυμπλήξειc — ὀγκηρὸν γὰρ πᾶcα ἔκταcιc.

De δεινότητι quae meum in finem dicenda erant, supra exposui; quam misere tractatum sit vitiosum genus ei vicinum, ἄχαριc χαρακτήρ, neminem fugit.

Ut in uno conspectu ponam, hi sunt apud Demetrium characteres Theophrastei:

χαρ. λέξεωc: μεγαλοπρεπήc, ἰcχνόc (omittitur μέcοc)
cf. Dion.: μεγαλοπρεπήc, ἰcχνόc, μέcοc.
χαρ. cυνθέcεωc: μεγαλοπρεπήc, γλαφυρόc (omittitur μέcοc)
cf. Dion.: αὐcτηρόc, γλαφυρόc, μέcοc.

Totum igitur Theophrasti systema in rhetoris illius miselli uberrimo libello reperimus, deformatum saepissime, sed mutatum tam incondite, ut veteris libri splendor remanserit. totam doctrinam reperimus; de periodis, de comparibus etc. praefationis loco egit; de tralationibus 78—90; de compositis (cύνθετα) et factis (πεποιημένα) verbis 91—98; de compluribus virtutibus orationis fusius agit diversis locis: cαφήνειαν tractat 192—202, ἐνάργειαν 209—220, πιθανὸν 221—222; de vocalium concursu sunt §§ 68—74; inseruit etiam, ubi aptus ei videretur locus esse, pleniores tractatus περὶ ἐπιcτολικοῦ χαρακτῆροc et περὶ ἐcχηματιcμένων, quos mihi persuasum est alienos fuisse a Theophrasti libro.

Dico Theophrasto usum esse Demetrium. nil enim interest utrum eius ipsius inspexerit librum, qui fundamenta amplissima ita iecit, ut posterioribus Cicerone teste

fere nihil addendum relinqueret, an adhibuerit unam ex recentioribus Peripateticae περὶ λέξεως doctrinae ut verbo utar editionibus. ipso Theophrasto eum non esse usum certissimum duco, alioquin etiam Aristotelem legisse putandus esset, qui a Theophrasto nominari non potuit; atqui huius farinae scriptor non curat, quae sit doctrinae historia, certe fugit legere Aristotelem. legisset etiam Praxiphanem (§ 57), ut omittam omnes, de quibus vel possit quis dubitare. contra cum ponimus auctorem eius fuisse doctum quendam hominem, qui altero a. Chr. saeculo librum περὶ λέξεως scripserit nisus Theophrasto adhibitis etiam Aristotele aliisque, clara sunt omnia. neque ullus locus Theophrasti nomine insignitus a Demetrio eam suadet sententiam, quam ego impugno. — accedit alterum. me iudice a Theophrasto vitiosi elocutionis characteres non sunt statuti (cf. pag. 21). atqui norunt vitiosos characteres Cornificius IV 15 "sufflatum" (confine gravi generi), 16 "fluctuans et dissolutum" (confine mediocri), "exsangue et exile" (confine attenuato); et Varro (apud Gellium VI 14, 5) "sufflatum, tumidum" (oppositum uberi), "squalens, ieiunidicum" (oppositum gracili), "incertum et ambiguum" (oppositum mediocri), quae — omissis mediis generibus — congruunt cum Demetrianis:

μεγαλοπρεπές — ψυχρόν (i. e. ὑπερβάλλον, 114);
ἰσχνόν — ξηρόν. (δεινὸς χαρακτὴρ non magis huc pertinet quam γλαφυρός.)

ergo ante Varronem et Cornificium vitiosi characteres elocutionis constituti sunt — quae profecto non erat mutatio grandis nec difficilis, quia praesto iam erant Theophrastea de virtutibus elocutionis vitiisque vicinis. — quod Dionysius non commemorat vitiosos characteres, sed qualitates tantum, inde explicandum videtur, quod ipsum Theophrasti opus et id quidem unum adhibuit in scribendo. neque enim, quod feci in Cicerone, dubitare licet, ipsumne Theophrastum legerit; legit etiam Aristotelis artem rhet. (cf. epist. I ad Amm.). — denique forsitan fructum percipiamus

e Stobaei loco (cf. supra pag. 21) cum Demetrianis comparato, annotat Wachsmuthius: "tota haec distinctio ab Aristotele aliena"; sed ni fallor etiam post Theophrastum ponenda, quia Stoica videntur irrepsisse. huc, quod in Demetrii quoque loco legimus, verbum ἀcτεῖον adhibitum pro cπουδαῖον refero *. si recte statui, non licet Demetrii auctorem, Peripateticum Stoica praebentem, priori tempori quam alteri a. Chr. saeculo tribuere.

Quod tradunt veteres Theophrastum valde pressisse praeceptoris vestigia, id etiam in utriusque περὶ λέξεωc praecepta cadere luculenter demonstravit Dielsius (Über das 3. B. der Aristotel. Rhetorik, Abh. d. Berl. Akad. d. Wiss. 1886). itaque explicandum mihi est, quid sentiam de artis rhetoricae Aristoteleae libro III. genuinum esse librum Dielsius l. l. exposuit cum reiectis Sauppii aliorumque dubitationibus tum argumentis firmis, ut putat, allatis. sed quod primum ponit argumentum Theophrastum in libro περὶ λέξεωc ea ipsa, quae in l. III leguntur, iisdem saepe verbis praecipere, nil valet, quoniam genuinam unius Aristoteiis doctrinam libro III inesse nemo potest negare. alterum Dielsii argumentum est, quod τέχνη περὶ ὑποκρίcεωc illius libri tempore nondum composita erat (1403 b 21); neque vero eo, quod Aristotelis successor scripsit περὶ ὑποκρίcεωc, statim efficitur, ut qui hunc librum III concinnaverit unus relinquatur Aristoteles. nam praeterquam quod

* Transitum illum, qui est § 114, ab ipso demum Demetrio factum esse, alienum ab eius auctore, nequit cogitari. ipsa enim verba Demetrium ex eo petiisse et ea minus apte patet. etenim de uno tantum charactere usque eo dictum est, iam monstratur singulis characteribus finitimos esse vitiosos: πρῶτα δὲ περὶ τοῦ γειτνιῶντος τῷ μεγαλοπρεπεῖ λέξομεν; sic loquitur is, qui tractatis characteribus omnibus aggreditur vitiosorum numerum, non qui unum tractavit. Demetrii igitur auctor, a quo Theophrasteis elocutionis characteribus additi sunt vitiosi, iis fere, quae legimus apud Demetrium 114, transitum fecerat a bonis ad malos (eundem ordinem praebent Varro et Cornificius l. l.); Demetrius ordinem mutavit, non valde mutato auctoris sermone.

ignoramus, quo anno Theophrastus librum de actione scripserit, nonne discipulus Aristotelis quae hac de re in magistri scholis notarat servare poterat, etiamsi interim de actione scriptum erat? sed quis a Dielsio possit dissentire plurima eorum, qui de Aristotele auctore dubitarunt, argumenta infirmiora esse? de integro igitur quaestio disceptanda mihi videtur. — recte probat Dielsius veterem coniecturam artis rhet. duos libros priores nondum ab Aristotele coniunctos fuisse cum tertio: et praebet Laertii index titulum τέχνης ῥητορικῆς ᾱβ̄. libro III ut ne deesset titulus, coniunctis Laertii περὶ λέξεως ᾱβ̄ et Anonymi Menagiani περὶ λέξεως καθαρᾶς ᾱ novum effecit περὶ λέξεως ᾱ libro III praefigendum (p. 17). qui titulus quam non quadret, vel inde cognoscitur, quod idem Dielsius p. 34 hunc tractatum nominat περὶ λέξεως καὶ τάξεως; nam περὶ λέξεως non agitur nisi priore libri parte. quamquam περὶ λέξεως καὶ τάξεως unum inscribi librum in indice Laertii nemo credet, d u o s libros diversos notari exspectamus, alterum περὶ λέξεως, alterum περὶ τάξεως. neque vero omnino licebat illos titulos coniungere: in Laertii indice legimus τέχνης ῥητορικῆς ᾱβ̄ et περὶ λέξεως ᾱβ̄, u t r u m q u e d u o r u m librorum tractatum; in Anonymi iam est τέχνης ῥητορικῆς γ̄ nulla libri περὶ λέξεως mentione separatim facta (nam si quid omnino tribuere volumus miro huic indici — quod ego nolo —, etiam tenendum est titulum περὶ λέξεως καθαρᾶς, qui in hoc exstat, ne priori quidem parti libri III respondere, sed iis fere, quae eius capite V exponuntur; locus quidem utrique titulo in indicibus idem est). statuendum igitur est: librum III ab initio non fuisse coniunctum cum prioribus, titulum ei non fuisse, quem vult Dielsius; ergo aut generalis ei erat titulus is, quem habet Laertius 79: τέχνη ᾱ * (Anon. Menag. 73: τέχνης ᾱ), aut duo erant scripta, alterum περὶ λέξεως, alterum περὶ τάξεως.

---

* Hoc non crediderim, quia τέχνης ῥητορικῆς pars primaria, inventio, in eo non tractatur.

sed obstat libri III initium. immo pro mea coniectura facit. Dielsius quidem sic argumentatur: quoniam inde a Theophrasto tribus officiis rhetorices, quae commemorantur art. rhet. Aristot. 1403 b 7, a nullo additum non* est quartum, ὑπόκριcιc, non potuit componi libri III initium post Aristotelem nec potuit nisi ab ipso Aristotele. ego contendo sic ut nos legimus prima libri III verba nec ab Aristotele scribi potuisse nec omnino ab homine artis rhetoricae studioso. primum enim ordo iustus in artibus erat περὶ πίcτεων, περὶ τάξεωc, περὶ λέξεωc; postremum referebatur ad λεκτικὸν τόπον, priora ad πραγματικόν; has igitur πραγματικοῦ τόπου partes non potuisse disiungi interposita elocutione consentaneum est. at concessum est librum III a prioribus seiungendum esse. priorem locum utique tenebant res, posteriorem verba**; huic repugnat liber III. ex innumerabilibus testimoniis duo affero. Cic. or. 43: "quoniam tria videnda sunt oratori, quid dicat, et quo quidque loco, et quo modo" (quae verba singula mire congruunt cum initio libri III; sed ordo est alius); cf. § 50. 51. idem de or. II 79: "quinque faciunt quasi membra eloquentiae: invenire, quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriae mandare, tum ad extremum agere et pronuntiare". Cicero compluribus locis elocutionem dispositioni praeponit, cf. de or. I 187. II 79; liberioris locu-

---

*) Non prorsus rectum! cf. Quint. III 3, 4: "nec audiendi quidam, quorum est Albucius, qui tris modo primas esse partes volunt, quoniam memoria atque actio natura, non arte contingant". sed illorum spinae alienae ab hac quaestione sunt.

**) Tenendum est in Aristotelea arte rhet. tres partes esse eodem gradu positas; itaque non curabimus in hac re Anaximenis artem alia ratione scriptam (cf. c. 6 et 28) nec posteriorum argutias Aristoteli imponemus, de quibus refert Quintilianus III 3, 8: "Dion inventionem modo et dispositionem tradidit, sed utramque duplicem, rerum et verborum, ut sit elocutio inventionis, pronuntiatio dispositionis, his quinta pars memoria accedat; Theodorei fere inventionem duplicem, rerum atque elocutionis, deinde tris ceteras partes."

tionis talia esse discimus cum ex ipsius Ciceronis dispositione, tum ex eius verbis de or. II 79, ubi utraque dispositio legitur, prior ita, ut iustam eam esse eluceat. quisnam mihi iam opponet alterum, quod ego quidem videam, unicum argumentum: Stoicos teste Laertio VII 43 eundem statuisse ordinem, qui sit in Aristotelis de arte rhetorica libris: εἶναι δὲ ⟨τῆς ῥητορικῆς⟩ τὴν διαίρεσιν εἴς τε τὴν εὕρεσιν καὶ εἰς τὴν φράσιν καὶ εἰς τὴν τάξιν καὶ εἰς τὴν ὑπόκρισιν?

Itaque cum mihi certum sit ordinem trium rhetorices partium qualem nos habemus non esse Aristoteleum, videndum est, quid de libri III initio faciamus. ad verba 1403 b 10 "καὶ διὰ τί τοσαῦτα μόνα" annotat Spengelius: "hanc causam supra I 2 frustra quaeres; necessario enim non plura esse non docuit, quemadmodum v. c. ex temporum rationibus tria tantum genera esse demonstravit". num hoc commisisse putandus est Aristoteles? — accedit alterum. 1403 b 6: ἐπειδὴ τρία ἐστὶν ἃ δεῖ πραγματευθῆναι περὶ τὸν λόγον, ἓν μὲν ἐκ τίνων αἱ πίστεις ἔσονται, δεύτερον δὲ περὶ τὴν λέξιν, τρίτον δὲ πῶς χρὴ τάξαι τὰ μέρη τοῦ λόγου, περὶ μὲν τῶν πίστεων εἴρηται κτλ. b 15: οὐ γὰρ ἀπόχρη τὸ ἔχειν ἃ δεῖ λέγειν ... τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἐζητήθη κατὰ φύσιν ὅπερ πέφυκε πρῶτον, αὐτὰ τὰ πράγματα ἐκ τίνων ἔχει τὸ πιθανόν, δεύτερον δὲ τὸ ταῦτα τῇ λέξει διαθέσθαι, τρίτον δὲ τούτων, ὃ δύναμιν μὲν ἔχει μεγίστην, οὔπω δ' ἐπικεχείρηται, τὰ περὶ τὴν ὑπόκρισιν. nullo spatio interposito similia bis legimus, sed interest aliquid: priore loco tres partes nominavit auctor πίστεις, λέξιν, τάξιν, posteriore tres πίστεις, λέξιν, ὑπόκρισιν. nequit utrumque Aristoteleum esse, genuina eius verba procul dubio posteriore loco leguntur; neque enim solum quae de actione nondum bene tractata monstrat produnt Aristotelem, sed etiam iustus ordo servatur: dispositio scilicet omissa est utpote indigna, cui proprius locus assignaretur inter primarias rhetorices partes. 1354 b 17: ... τὰ ἔξω τοῦ πράγματος τεχνολογοῦσιν ὅσοι τἆλλα διορίζουσιν, οἷον τί δεῖ τὸ προοίμιον ἢ τὴν διήγησιν ἔχειν καὶ τῶν

ἄλλων ἕκαστον μορίων. — mihi igitur tractatus περὶ λέξεως exordium ab initio tale fere videtur fuisse: οὐκ ἀπόχρη τὸ ἔχειν ἃ δεῖ λέγειν, ἀλλ' ἀνάγκη καὶ ταῦτα ὡς δεῖ εἰπεῖν, καὶ συμβάλλεται πολλὰ πρὸς τὸ φανῆναι ποιόν τινα τὸν λόγον. τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἐζητήθη κτλ.: "primum cum homines coepissent in has res anquirere, argumenta tantum tractaverunt: nunc — nec id quidem diu studuerunt, cf. 1403 b 36 — etiam elocutio ab artium scriptoribus tractatur; neque vero adhuc quisquam tractavit actionem."

Quo tempore duobus artis Aristoteleae libris agglutinati sint tractatus περὶ λέξεως et περὶ τάξεως, forsitan possit statui. certe ante Dionysii Hal. scripta duo, de comp. 25 et ad Amm. epist. I, remittimur. Hermippo autem nondum praesto erat trium librorum ars. nonne ultro se offert suspicio trium librorum artem deberi Andronico? quinto opinor decennio postquam Romam a Sulla allata est "Aristotelis Theophrastique bibliotheca" — neque enim possum credere commenticia esse omnia, quae de his tradita sunt — Andronicus*, ut rhetoricae quoque artis Aristoteleae partes in unam pragmatiam referret, cum illa quam invenit duorum librorum arte conglutinavit duo volumina minora in eodem illo librorum thesauro inventa, ordinem secutus, qualem tractatus περὶ λέξεως exordium praebere videbatur: primo loco posuit duos περὶ πίστεων libros, altero περὶ λέξεως tractatum, tertio, cum non exstaret inter Aristotelis scripta liber περὶ ὑποκρίσεως, eum posuit qui in hac dispositione deerat: περὶ τάξεως. ut coniungeret

* Porphyr. vit. Plotini c. 24: . . . τὰ ⟨Πλωτίνου⟩ βιβλία οὐ κατὰ χρόνους ἐᾶσαι φύρδην ἐκδεδομένα ἐδικαίωσα, μιμησάμενος δ' Ἀπολλόδωρον τὸν Ἀθηναῖον καὶ Ἀνδρόνικον τὸν Περιπατητικόν, ὧν ὁ μὲν Ἐπίχαρμον τὸν κωμῳδιογράφον εἰς δέκα τόμους φέρων συνήγαγεν, ὁ δὲ τὰ Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου εἰς πραγματείας διεῖλε, τὰς οἰκείας ὑποθέσεις εἰς ταὐτὸν συναγαγών κτλ. — iam Tyrannio publici iuris fecerat libros Aristoteleos, pragmatias autem nondum ab eo compositas fuisse sed ab Andronico demum certum duco.

inter se tres illos tractatus, inseruit verba 1303 b 6—15 et 1414 a 29—30*.

Dixi Hermippo nondum notam fuisse trium librorum artem, cum amplexus communem virorum doctorum sententiam ad Hermippum referrem Laertianum Aristotelis librorum indicem (78: τέχνης ῥητορικῆς $\overline{αβ}$; 87: περὶ λέξεως $\overline{αβ}$). sed labitur coniectura mea, si intercedente Andronico Hermippi index nobis servatus est. Dielsius (Archiv für Gesch. d. Philos. I 484): "Die ursprüngliche Anordnung der Bibliothekskataloge, wie sie Kallimachos gegeben und Hermipp in seine Βίοι aufgenommen hatte, scheint die alphabetische gewesen zu sein. Diese Gestalt haben z. B. die theophrastischen Verzeichnisse bei Laertios bewahrt. Dagegen zeigen die erhaltenen aristotelischen Indices systematische Anordnung, die von einem Fachmanne (ich denke an Andronikos) herzurühren scheint." hoc nequeo probare. primum enim quod de Theophrasti indicibus monuit Vsener (Anal. Theophr. 22), idem valet in Aristotelico: quoniam scimus Andronicum coniunxisse τὰς οἰκείας ὑποθέσεις, nostri indices, quippe qui singulos saepe tractatus praebeant separatos, cum etiam in nostris codicibus coniuncti in unam pragmatiam legantur, non sunt Andronici. deinde Laertius titulum praebet (59) τὰ πρὸ τῶν τόπων $\overline{α}$, qui Andronico displicebat; Simpl. in categ. (81 a 25 ed. acad.): ζητητέον τί δήποτε ἐπὶ τῷ τέλει τῶν Κατηγοριῶν ταῦτα πρόσκειται... τινὲς μὲν γὰρ ὧν καὶ Ἀνδρόνικός ἐστι παρὰ τὴν πρόθεσιν τοῦ βιβλίου προσκεῖσθαί φασιν ὑπό τινος ταῦτα τοῦ τὸ τῶν Κατηγοριῶν βιβλίον Πρὸ τῶν τόπων ἐπιγράψαντος**. — ne

* Transitum qui est 1403 a 34 — b 2 non tribuo Andronico, sicuti confusionem, quam in libro II detexit Spengelius, ab eius editione alienam fuisse puto.

** His computatis non possum non reicere, quod Bernaysius dicit (Dialoge p. 134): "Ausserdem spricht für die Autorschaft des Andronikos der Ort, an welchem die Kategorieen und die Schrift Περὶ ἑρμηνείας aufgeführt sind; sie stehen fast am Ende

cum quidem indicem, quem ex Ptolemaeo tralatum servarunt Arabes (A. Mueller, Morgenländische Forschungen p. 19), fluxisse ex Andronico conicere licet, quamquam Andronico Ptolemaeus usus est, cf. n. 89: βιβλία ὑπάρχοντα ἐν βιβλιοθήκῃ Ἀπελλικῶντος; 93: καὶ ἐπιστολαὶ ἄλλαι ἃς εὗρεν Ἀνδρόνικος ἐν κ̄ βιβλίοις; 94: καὶ . . ὑπομνημάτων . . . εὑρήσεις ἀριθμὸν καὶ ἀρχὰς [sive ὀνόματα] αὐτῶν ἐν λόγῳ πέμπτῳ Ἀνδρονίκου περὶ πίνακος βιβλίων Ἀριστοτέλους. quomodo in indicem ex Andronico ipso derivatum illius mentio irrepere potuerit, non video; praeterea pragmatias ne hic quidem multas videmus; ergo putabimus Ptolemaeo alium indicem praeter Androniceum praesto fuisse, cum ex hoc illum corrigat*.

Ptolemaeus igitur iam novit trium librorum artem rhet. (67: τέχνης ῥητορικῆς γ̄), quod Andronico qui tribuit iam opinor non agit temere; Laertii indicem ante Andronici tempora remittere cogimur; quid similius est veri quam

des Verzeichnisses, weitab von den übrigen logischen Werken, unter den Urkundensammlungen. Nun wissen wir, dass Andronikos, und Niemand vor [πλὴν dicit scholiasta] ihm (Schol. in Arist. 97 a 19), die Schrift Περὶ ἑρμηνείας für unecht erklärte. Er wird sie daher zugleich mit der zweiten verworfenen Redaction der Kategorieen (Schol. in Arist. 39 a 20, 36) von den echten logischen Schriften getrennt, oder auch aus seinem Verzeichniss gänzlich ausgeschlossen haben, in das sie dann von Späteren an ungehöriger Stelle eingefügt wurden." certe Andronicus loco illo prorsus alieno suppositos libros non posuisset, casu igitur irrepserunt.

* Ptolemaeus Andronicum secutus mille Aristotelis libros esse dixit (cf. vit. Marcian.; David in categ. 22 a 11, 24 a 19 ed. ac.); praeterea unius pragmatiae consilium et quasi originem etiamnunc prodit. 81 (exscribo hic ut semper in indice Arabico Muelleri verba): γεωργικῶν ῑ (od. ιε̄) und hierzu gehört (Mueller p. 30 not. 35) a) περὶ ὑγρῶν ᾱ, b) περὶ ξηρῶν ᾱ, c) περὶ κοινῶς συμβεβηκότων (συμβαινόντων?) ᾱ (od. γ̄) (Mueller p. 31: gewöhnliche, häufige Ereignisse, resp. Unfälle), d) περὶ μετεώρων γ̄ (β), e) περὶ ζῴων γενέσεως β, f) περὶ τοῦ αὐτοῦ β. nil enim refert, sitne genuinus hic librorum complexus an suppositus.

ex Hermippo per multos rivulos (at praeter Andronicum) Laertium sua accepisse? nec videtur ordo librorum obstare, immo qui pluribus libris ageret de Aristotele (Athen. 589 c: Ἕρμιππος ἐν τῷ περὶ Ἀριστοτέλους πρώτῳ; cf. 696 f), ei fortasse necessarium visum est spreto alphabetico bibliothecae ordine libros secundum argumenta disponere. sed incerta haec sunt. — restat index Anonymi Menagiani, de quo quid faciam nescio. id videtur contra Rosium (Aristotelis fragm., ed. III p. 11) statuendum esse ne priorem quidem partem eius indicis ex Laertio exscriptam esse. aperte cum Laertii indice artior ei necessitudo intercedit quam cum Ptolemaeo, quamquam quae in hoc leguntur magna ex parte per Arabes valde perturbata esse videntur his in rebus minus diligentes. gravissimum est, quod librorum numerus (CCCC) idem statuitur a Laertio et ab Anonymo Menagiano, idem (mille) ab Andronico et a Ptolemaeo.

His peractis tandem venio ad id quod mihi proposui. in Laertii indice titulum legimus περὶ λέξεως $\overline{αβ}$. num quis putat libri III primis XII capitibus illos libros duos effectos fuisse? mea quidem sententia Aristotelis opus genuinum, i. e. perfectum ad singula et elaboratum ab ipso — nam "genuinus" etiam liber III est —, fuit περὶ λέξεως $\overline{αβ}$, id quod erat in Alexandrina bibliotheca; nostri autem libri III pars prior, sive Andronicus sive alius quilibet Aristoteleae artis rhet. novam formam creavit, ipsa quoque Aristotelis περὶ λέξεως praecepta continet, sed ea breviora. sive Aristoteles ipse quondam haec adumbravit, ut materiam scholis habendis pararet, sive quod similius veri mihi est eius auditor quidam quae praeceptor docebat litteris mandavit, utique plurimi aestimanda sunt quasi fundamenta quibus Theophrastus elocutionis artem superstruxit.

Si recte pag. 26 Demetrii auctorem alteri a. Chr. saeculo tribui, gravissimum argumentum addere licet meae de libris diversis περὶ λέξεως coniecturae: hic enim anonymus auctor nostro libro III non videtur usus esse.

Demetr. 38: σύνθεσις δὲ μεγαλοπρεπής, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης, ἡ παιωνική. frustra hoc quaeres in libro III, nisi velis disiecta membra colligere, 1408 b 33: ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν . . . δεῖ δὲ σεμνότητα γενέσθαι καὶ ἐκστῆσαι. ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος . . . λείπεται δὲ παιάν . . . ὁ δὲ παιὰν ληπτέος.

Dem. 34: τὸ δὲ κῶλον Ἀριστοτέλης οὕτως ὁρίζεται "κῶλόν ἐστι τὸ ἕτερον μέρος περιόδου". εἶτα ἐπιφέρει "γίνεται δὲ καὶ ἁπλῆ περίοδος". οὕτως ὁρισάμενος "τὸ ἕτερον μέρος" δίκωλον ἐβούλετο εἶναι τὴν περίοδον δηλονότι. ὁ δὲ Ἀρχέδημος συλλαβὼν τὸν ὅρον τοῦ Ἀριστοτέλους καὶ τὸ ἐπιφερόμενον τῷ ὅρῳ σαφέστερον καὶ τελεώτερον οὕτως ὡρίσατο "κῶλόν ἐστιν ἤτοι ἁπλῆ περίοδος ἢ συνθέτου περιόδου μέρος". (cf. Dem. 17: μονόκωλοι ἃς καλοῦσιν ἁπλᾶς περιόδους.) Arist. 1409 b 13: περίοδος δὲ ἡ μὲν ἐν κώλοις, ἡ δ' ἀφελής . . . κῶλον δ' ἐστὶν τὸ ἕτερον μόριον ταύτης. ἀφελῆ δὲ λέγω τὴν μονόκωλον. quibus differant, non minus patet quam Demetrium ipsa verba non mutata exscripsisse. nimis autem artificiosa est Dielsii (Über d. 3. B. p. 24) explicatio Demetrii errore definitionem Archedemi pro Aristotelea afferri.

Dem. 81: ἀρίστη δὲ δοκεῖ μεταφορὰ τῷ Ἀριστοτέλει ἡ κατ' ἐνέργειαν καλουμένη, ὅταν τὰ ἄψυχα ἐνεργοῦντα εἰσάγηται καθάπερ ἔμψυχα. significationem μεταφορὰ κατ' ἐνέργειαν apud Aristotelen — nam eum usum esse illa significatione e Demetrii verbis colligendum mihi videtur — nos non legimus. — quod denique § 116 loco quidem lacunoso Aristotelea (1405 b 34) laudantur ordine prorsus mutato non magis premam, quam quod periodi definitio Aristoteli ascripta § 11 (περίοδός ἐστι λέξις ἀρχὴν ἔχουσα καὶ τελευτήν) non prorsus respondet ei quae est in l. III (1409 a 35: λέγω δὲ περίοδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν αὐτὴν καθ' αὑτὴν καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον); genuinam quidem Aristoteleam duco definitionem a Demetrio servatam; imprimis verba αὐτὴν καθ' αὑτὴν supervacua prorsus omissa fuisse crediderim in Aristotelis exemplari. fortasse addiderat, cum

scholam haberet, propter auditores quosdam, si qui essent, qui minus intellegerent nudam definitionem; servavit nobis unus ex auditoribus*.

Quae cum ita sint, procul dubio liber III non ultimo loco adhibendus erit in reconstruendo Theophrasti opere, dum ne superstitiose eius ordinem sequamur. ut Theophrastus primo libro egit de iis, quae elementis acciderent, sic Aristoteles primis IV capitibus de his solis verba facit. verbis ὁ μὲν οὖν λόγος συντίθεται ἐκ τούτων· ἔστι δ' ἀρχὴ τῆς λέξεως τὸ ἑλληνίζειν (1407 a 19) transit ad alteram partem: de oratione continua.

Quae adhuc disserui, ad argumentum Theophrastei operis adumbrandum facere mihi videbantur; neque enim mihi proposueram hoc loco colligere, quaecumque ex eo fluxisse viderentur. — addidi quaestiunculas duas ad idem opus spectantes, grammaticam alteram, alteram rhetoricam.

De elementis orationis.

Certum elementorum orationis numerum a Theophrasto constitutum non indicant Simplicii verba πότερον ὄνομα καὶ ῥῆμα τοῦ λόγου στοιχεῖα ἢ καὶ ἄρθρα καὶ σύνδεσμοι καὶ ἄλλα τινά· λέξεως δὲ καὶ ταῦτα μέρη, λόγου δὲ ὄνομα καὶ ῥῆμα. tantum ex iis colligitur de pluribus agi quam quattuor; postulant Simplicii verba (καὶ ἄλλα τινά) minimum

---

* Omnino omittendus mihi videbatur locus quem affert Anonymus I 439 Sp (uti mihi licebat editione Graeveniana, quae brevi in lucem prodibit s. t. "Cornuti artis rhet. epitome"): περὶ μέντοι συντομίας Ἀριστοτέλης ἐφίστησιν. εἰ γάρ ἐστι, φησίν, ἡ συντομία συμμετρία τῆς μήτε παραλειπούσης τι τῶν ἀναγκαίων μήτε πλεοναζούσης, ἀρετὴ γενήσεται. εἰ δ' ἐστὶν ὥσπερ ἔνδεια τῆς ὑπερβαινούσης τι τῶν χρησίμων, ἐν ταῖς κακίαις μᾶλλον ταχθήσεται. Spengelius (praef. p. XXIX) ad art. rh. III 16 refert, ubi idem praecipitur verbis prorsus aliis. apparet autem vel ex sermone illo loco ipsa verba Aristotelis non referri.

sex partes. ne quis dicat me verbis vim afferre; me iudice, ubi ignoramus paene omnia, unicuique verbo suum pondus tribuendum est. cum illa non congruant cum iis, quae Dionysius Halic. (de c. v. 2. 8, 2. cf. etiam de Dem. 48) et Quintilianus (I 4, 13 sq.) tradunt, horum testimonia examinabo. Ammon cum nonnulla adiecta, plura immutata videret apud Quintilianum, l. l. p. 22 dicit: "num de suo addiderit Quintilianus, num suo arbitrio immutaverit, quaeritur. quid si utrumque ex iisdem fontibus hausisse statuemus? Sed utut hoc se habet" eqs. a Quintiliano verti Dionysii verba, omnino credibile non est, minus etiam credibile rhetoris illius de compositione libro, in quo paucis tantum et cursim haec provincia tractata erat, usum esse Quintilianum, cui hac in re grammatica ut in aliis grammaticorum libri praesto erant. quibus differant inter se illi loci, quivis animadvertit. statim afferam gravissimum argumentum. Quint. I 4, 20: "alii tamen ex idoneis dumtaxat auctoribus octo partes secuti sunt, ut Aristarchus et aetate nostra Palaemon, qui vocabulum sive appellationem nomini subiecerunt tamquam species eius". huius sententiae apud Dion. Hal. nec vola nec vestigium invenitur. Remmii nomen nos non provehit, quoniam propter cetera auctor Halicarnasensi prior quaerendus est; sed adest felici casu Aristarchi discipulus, Dionysius Thrax, in cuius arte legimus (p. 23 Vhlig.): τοῦ δὲ λόγου μέρη ἐστὶν ὀκτώ· ὄνομα, ῥῆμα, μετοχή, ἄρθρον, ἀντωνυμία, πρόθεσις, ἐπίῤῥημα, σύνδεσμος· ἡ γὰρ προσηγορία ὡς εἶδος τῷ ὀνόματι ὑποβέβληται. Quintilianus igitur (vel eius auctor: distinguere hoc loco opus non est), cum cuius verbis ultima magis consentiunt, quam casu fieri poterat, locupletiorem in his librum exscripsit quam Halicarnasensis exile caput: num insuper Halicarnasensem adiisse putandus est?

Auctor igitur utrique communis postquam tres partes orationis tribuit Theodecti et Aristoteli, in explenda illa de orationis partibus doctrina praecipuo loco nominandos

esse Stoicos aperte dixerat. Dion. de Dem. 48. 1101, 4 ipsum Zenonem nominat quarti elementi inventorem: τοῖς πρώτοις μορίοις τῆς λέξεως, ἃ δὴ στοιχεῖα ὑπό τινων καλεῖται, εἴτε τρία ταῦτ' ἐστίν, ὡς Θεοδέκτῃ τε καὶ Ἀριστοτέλει δοκεῖ, ὀνόματα καὶ ῥήματα καὶ σύνδεσμοι, εἴτε τέτταρα, ὡς τοῖς περὶ Ζήνωνα τὸν Στωικὸν κτλ. (εἴτε τέτταρα — Στωικὸν sunt in A et P; om. Palat.). in artis poeticae Aristot. c. 20 praeter tres partes etiam ab illo auctore Aristoteli tributas ἄρθρον affertur corruptissimis quidem verbis, at affertur. Vsener, ut dissensionem solveret, Quaest. Anaxim. p. 39 coniecit Halicarnasensi (vel eius auctori) in animo fuisse Aristoteleae artis rhet. locos duos, 1404 b 26: ὄντων δ' ὀνομάτων καὶ ῥημάτων ἐξ ὧν ὁ λόγος συνέστηκεν et 1407 a 20: ⟨τὸ ἑλληνίζειν ἐστὶ⟩ πρῶτον μὲν ἐν τοῖς συνδέσμοις (confert etiam 1403 b 32), quibus comprehensis tres illas partes invenisset; quartam partem (ἄρθρον) notam quidem fuisse Aristoteli ex Antisthenis doctrina, in ipsius autem systema non receptam. hoc nequeo probare, quia primum auctori illi propter eum errorem, de quo iam dicetur, non id tribuo diligentiae, ut data opera conquireret diversos in arte rhet. Aristotelea locos, praesertim cum me quidem iudice acquievisset in primo statim loco "ὄντων δ' ὀνομάτων καὶ ῥημάτων". deinde nequeo contemnere artis poet. locum, nequeo concedere Aristotelem hic alienam doctrinam amplecti ipsi non probatam*. itaque astipulor Classeno, qui (De gramm. graec. primord. p. 60) unius Theodectis illam fuisse rationem dicit, ut tres partes statuerentur; sed hoc unum Classeno concedo,

---

* Non possum mihi persuadere art. rh. 1407 a 23 (ἐν τοῖς συνδέσμοις . . . ὥσπερ ὁ μέν καὶ ὁ ἐγὼ μέν ἀπαιτεῖ τὸν δέ καὶ τὸν ὁ δέ) coniunctionis nomine etiam pronomen particulis μέν, δέ iunctum comprehensum esse; ut magis fieret perspicuum, quid praescriberetur, quasi exempli loco addita mihi videntur ἐγὼ μέν et ὁ δέ. eundem loquendi usum minus accuratum inveni in scholiis in Iliadem, K 408 (ven. a): δαί]ότι σύνδεσμος ὁ δαί καὶ οὐκ ἄρθρον (rectius dixisset οὐκ ἄρθρον καὶ σύνδεσμος). M 374 (ven. a): περισσεύει δὲ ὁ ἑξῆς σύνδεσμος ὁ οἱ δ' ἐπ' ἐπάλξεις βαῖνον. cf. ad Z 149.

Aristotelis nomen quod commemoratur, paulo aliter explico. Dielsius enim l. l. p. 15 rectissime puto exposuit Theodectem Aristotele absente artem rhetoricam docuisse secundum eius commentarios; eam autem artem, quae ex his scholis orta sit, artem Theodecteam, quodammodo priorem nostrae artis rhet. Aristoteleae editionem esse. in eo igitur libro, qui Aristoteleo fundamento nisus circumferebatur Theodecteus, de tribus tantum orationis elementis actum est — si quid valent nostra testimonia —; post cum Aristoteles Athenas reversus scriberet artem poeticam, aptum ei videbatur adoptare articulum ab Antisthene inventum.

Revertor ad Stoicos. Laertius VII 57 testatur Diogenem Babylonium et Chrysippum quinque partes statuisse: ὄνομα, προσηγορίαν, ῥῆμα, σύνδεσμον, ἄρθρον,* Antipatrum addidisse μεσότητα. sed posteriores ubi in universum de Stoicorum doctrina loquuntur, quinque illas partes iis tribuunt. iam videamus, quam non recte Dionysii Quintilianique auctor dixerit maxime ab his elementorum numerum auctum esse: quattuor elementa novit Aristoteles, octo Aristarchus; Stoicis igitur sola posset tribui προσηγορία, de qua ipsa quoque quaedam rectissime monuit Aristarchus. iam vero si hic primus octo illas partes statuisset, me iudice etiam in scholiis in Iliadem indicia exstarent, priorem igitur Aristarcho quaerimus. indicatos vidimus Theophrasti quosdam in hac re progressus: perfectam illam de partibus orationis doctrinam non ei deberi puto sed Praxiphani, commotus duobus testimoniis. Crameri anecd. Ox. IV 311: . . . διαφέρει δὲ γραμματικὴ γραμματιστικῆς. ἡ γὰρ γραμματικὴ νεωτέρα ἀπὸ Θεαγένους. τετέλεσται δὲ ἀπὸ τῶν Περιπατητικῶν Πραξιφάνους τε καὶ Ἀριστοτέλους κτλ.; idem plenius in Bekkeri anecd. gr. 729; cf. Clem. Alex. strom. I 365: ὠνομάσθη δὲ γραμματικὸς ὡς νῦν ὀνομάζομεν πρῶτος

---

* Quod Galenus de plac. Plat. et Hipp. V 670 K tradit Chrysippum ὄνομα, ῥῆμα, πρόθεσιν, ἄρθρον, σύνδεσμον nominasse orationis elementa, errori deberi videtur.

Πραξιφάνης nobis vix relicta sunt vestigia Praxiphanis de grammatica meritorum, quae quanta fuerint quivis colliget inde, quod priore loco una cum Aristotele Praxiphanes nominatur, non Theophrastus aliive. unus tamen praesto est locus ex ea de qua nunc agitur provincia. Demetr. 55: τοῖς δὲ παραπληρωματικοῖς συνδέσμοις χρηστέον οὐχ ὡς προσθήκαις κεναῖς . . . 57. λαμβάνεται δὲ καὶ παθητικῶς πολλάκις ὁ σύνδεσμος οὗτος, ὥσπερ ἐπὶ τῆς Καλυψοῦς πρὸς τὸν Ὀδυσσέα "Διογενὲς Λαερτιάδη πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ, οὕτω δὴ οἶκόνδε, φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν"· εἰ γοῦν τὸν σύνδεσμον (scil. δή) ἐξέλοις, συνεξαιρήσεις καὶ τὸ πάθος. καθόλου γάρ, ὥσπερ ὁ Πραξιφάνης φησίν, ἀντὶ μυγμῶν παρελαμβάνοντο οἱ τοιοῦτοι σύνδεσμοι καὶ στεναγμῶν, ὥσπερ τὸ αἶ αἶ καὶ τὸ φεῦ, καὶ ποῖόν τί ἐστιν, ὡς αὐτός φησι, τὸ "καί νύ κ' ὀδυρομένοισιν". ἔπρεψεν ἔμφασίν τινα ἔχον οἰκτροῦ ὀνόματος. 58. οἱ δὲ πρὸς οὐδὲν ἀναπληροῦντες, φησί, τὸν σύνδεσμον ἐοίκασι τοῖς ὑποκριταῖς τοῖς τὸ καὶ τὸ πρὸς οὐδὲν ἐπιλέγουσιν (Nauckius; ἔπος λέγουσιν cod. Par.), οἷον εἴ τις ὧδε λέγοι

"Καλυδὼν μὲν ἥδε γαῖα Πελοπείας χθονός, φεῦ,
ἐν ἀντιπόρθμοις πεδί' ἔχουσ' εὐδαίμονα, αἶ αἴ".

ὡς γὰρ παρέλκει τὸ αἶ αἶ καὶ τὸ φεῦ ἐνθάδε, οὕτω καὶ ὁ πανταχοῦ μάτην ἐμβαλλόμενος σύνδεσμος. quamquam insunt multa menda, de sensu dubitari nequit: qui δή et νύ — hi enim sunt σύνδεσμοι παραπληρωματικοί — ex supervacuo adhibent, non minus vituperandi sunt quam actores, qui quolibet loco interiectionibus ex supervacuo utuntur. qui tam accurate distinxit inter coniunctiones, potesne tibi persuadere eum ceteras orationis partes neglexisse, eum servasse angustiorem priorum doctrinam? ante Aristarchum compositam fuisse doctrinam de octo partibus orationis generali magis consideratione commoti postulabamus; Stoicis hoc tribuendum non esse vidimus; iam a Theophrasto plures partes quam quattuor statutas esse testatur Simplicius; Praxiphanem praeter Aristotelem legimus perfecisse grammaticam novam; testimonium eius laudis a Demetrio servatum attuli — num nimis debilis est coniectura a Pra-

xiphane constitutam esse illam de partibus orationis doctrinam, quam amplexi sunt Aristarchus, Dionysius Thrax, alii permulti, adumbratam vel indicatam iam a Theophrasto? Quod maioris sane momenti esset, statuere, quomodo definierint Theophrastus et Praxiphanes singula elementa, mihi non contigit.

De virtutibus orationis.

Quaenam virtutes orationis a Theophrasto definitae essent, M. Schmidtius (De Theophr. rhet. p. 45) dixit elucere e Simplicii verbis: σαφές, μεγαλοπρεπές, ἡδύ, πιθανόν; quarto loco positum fuisse τὸ ἡδὺ colligit e Ciceronis verbis (or. 79). Schmidtii sententiam probavit Dielsius l. l. p. 12 ann. 3: "Theophrast zählt ganz unbefangen als Hauptarten des Stils das σαφές . . . ferner ἡδύ, μεγαλοπρεπές und endlich das πιθανόν auf (Simplic. l. l.; vgl. Cic. orator 24, 79, wo jedoch die drei andern Arten nicht aus Theophrast genommen sein können)". audiamus ipsum Ciceronem: "sermo ⟨summissi oratoris⟩ purus erit et latinus; dilucide planeque dicetur; quid deceat, circumspicietur; unum aberit, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus, ornatum illud suave et afluens" (codd. 'afflnens' teste Heerdegeno; f litteram in eo verbo non esse geminam Dombartius docuit). in his clara sunt omnia, dum pro 'suave' scribamus 'grave' (μεγαλοπρέπεια enim est illa virtus)*: Theophrasteae tres priores virtutes non minus sunt quam quarta. primum enim num omnino cogitari

* Mutatio necessaria est. primum nulla virtus oratoria invenitur, quae complectatur suavitatem et afluentiam. Iahnius dicit his significari medium orationis genus (91—96), cum affert § 42: "dulce igitur orationis genus et solutum et affluens"; sic Iahnius; codices habent 'effluens', pro quo scribamus licet cum Orellio 'fluens', certe multum abest hic sensus ab 'afluens'. iam praeterquam quod illis non significatur medium genus, ne potest quidem hic agi de medii generis primarla virtute. tria sunt ge-

potest a Theophrasto omissas esse tres illas, ἑλληνισμὸν sive καθαρότητα (sermo purus et latinus), σαφήνειαν (dilucide planeque), τὸ πρέπον (quid deceat)? quod cum per se pateat, tum vero colligitur e trium testium consensu: Aristoteles, Cicero, Dionysius Halic. eas praebent, ergo praebuit etiam Theophrastus. deinde summissum genus, de quo ibi agitur, idem est ac Dionysii ἰσχνόν; Dionysius ipse de Dem. 3 testis est Theophrastum se sequi; num igitur Cicero, cum describeret totúm orationis genus Theophrasteum, virtutes orationis, quibus describendum erat, aliunde petiisse putandus est? tum qualem existimare debemus scriptorem, qui in enumerandis virtutibus dicit tres ab Isocrate — exempli gratia hoc nomine utor — statutas adesse debere summisso oratori, unam a Theophrasto quarto loco statutam abesse? aperte igitur quattuor virtutes a Cicerone allatae Theophrasteae sunt omnes. fortasse Dielsius offendit in eo, quod virtutes a Cicerone nominatae non congruunt cum iis, quas Simplicio teste Theophrastus statuit. ipse dico eas non congruere, praesertim cum e verbis utriusque eluceat non agi de eadem re utrobique: Cicero dicit ʻs e r m o purus erit et latinusʼ, Simplicius ʻτί τὸ σαφὲς ἐν τ α ῖ ς λ έ ξ ε σ ιʼ. illic orationis continuae virtutes tractantur, hic virtutes singulorum verborum, sicut totus liber, cuius argumentum Simplicius tradit, de iis tantum est, quae verbis singulis accidunt. discimus igitur

---

nera I summissum, II medium inter summissum et amplissimum, III amplum copiosum grave ornatum (§ 97): nonne si qua virtus summisso generi abest, ea potius putanda est abesse, quae generis maxime contrarii, amplissimi dico, propria est, quam ea, quae medii inter extrema duo? tum suavitatem a genere summisso abesse nemo dicet: "venustissimum scriptorem" Cicero (or. 29) vocat Lysiam, summissi generis auctorem; χάρις, ἡδονή, ἀφροδίτη a Dionysio (de Lys. 11. de Dem. 13) eidem tribuuntur. si scribimus "ornatum illud grave et afluens" ad verbum haec respondent amplissimi generis significationibus (97) "amplus copiosus (= afluens) gravis ornatus". de Pideriti mira explicatione tacere licet.

separatim a Theophrasto actum esse de elementorum virtutibus in fine eius libri, qui erat de elementis, separatim in alio quodam eiusdem operis περὶ λέξεως libro de orationis continuae virtutibus. hoc eo minus mirum est, quod idem factum videmus ab Aristotele in artis rhet. libro III: capitibus II, III, IV agitur de elementis orationis, agitur etiam de elementorum virtute σαφηνείᾳ, cui accedunt τὸ πρέπον (1404 b 4), ἡδύ (b 11), πιθανόν (b 19). inde a cap. V agitur de oratione continua (cf. 1407 a 19. 20); hic quoque agitur de virtutibus; 1407 a 20: ἑλληνισμός, b 11 (b 21): σαφήνεια, b 26: ὄγκος, b 28: συντομία, 1408 a 10: πρέπον.

Virtutes simplicium coniunctorumque verborum a Theophrasto definitas enumerare ad unam omnes vereor ut contingat; certe nec Simplicius verborum nec Cicero (or. 79) orationis continuae virtutes nominat omnes. Dionysio enim teste Theophrastus inter virtutes tractavit συντομίαν (de Lys. 6: ἡ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσα λέξις), Demetrio teste πιθανότητα (de eloc. 222: ἐν τούτοις τε οὖν τὸ πιθανὸν καὶ ἐν ᾧ Θεόφραστός φησιν, ὅτι οὐ πάντα ἐπ᾽ ἀκριβείας δεῖ μακρηγορεῖν, ἀλλ᾽ ἔνια καταλιπεῖν καὶ τῷ ἀκροατῇ συνιέναι καὶ λογίζεσθαι ἐξ αὑτοῦ κτλ.). quoniam, quin utraque sit orationis continuae, non est dubium, virtutibus a Cicerone * nominatis (ἑλληνισμός, σαφές, πρέπον, quarto loco μεγαλοπρεπές) eas addemus. τὸ πρέπον, quae est eius virtutis natura, p o s t ceteras virtutes tractatum fuisse necessario statuemus; propono hunc ordinem: I ἑλληνισμός, II σαφές, III σύντομον, IV μεγαλοπρεπές, V πιθανόν, VI πρέπον.

* Altera saltem duarum virtutum illarum quare desideretur in Ciceronis enumeratione, facilem habet explicationem: scripsit Cicero Oratorem eo consilio, ut M. Bruto, Atticorum principi, sui igitur elocutionis generis inimico, persuaderet non in verborum exilitate nec in extrema loquendi συντομίᾳ positum esse genus vere Atticum. nonne vel periculosum erat Ciceroni, cum suum genus defenderet, referre inter orationis v i r t u t e s eam, quae Atticis illis iam nimis probaretur, συντομίαν inquam, cuius laudator si hac occasione exstitisset C i c e r o, risum movisset?

Nec Simplicius omnia refert: in fine necessario addemus τὸ πρέπον. praeterea a duobus traditum est Theophrastum egisse de verbis pulchris, quae pulchram redderent totam elocutionem. Dion. de c. v. 16. 100, 12: φημὶ δὴ τὸν βουλόμενον ἐργάςαςθαι λέξιν καλὴν ἐν τῷ ςυντιθέναι τὰς φωνάς, ὅςα καλλιλογίαν ἢ[1] μεγαλοπρέπειαν ἢ ςεμνότητα περιείληφεν ὀνόματα, εἰς ταὐτὸ[2] ςυνάγειν. εἴρηται δέ τινα περὶ τούτων καὶ Θεοφράςτῳ τῷ φιλοςόφῳ κοινότερον ἐν τοῖς περὶ λέξεως, ἔνθα ὁρίζει τίνα ὀνόματα φύςει καλά κτλ. (cf. supra p. 5); ipsa Theophrasti verba debemus Demetrio (173): ποιεῖ δὲ εὔχαριν τὴν ἑρμηνείαν καὶ τὰ λεγόμενα καλὰ ὀνόματα. ὡρίςατο δ' αὐτὰ Θεόφραςτος οὕτως· κάλλος ὀνόματός ἐςτι τὸ πρὸς τὴν ἀκοὴν ἢ πρὸς τὴν ὄψιν ἡδὺ ἢ [τὸ] τῇ διανοίᾳ ἔντιμον. cum agatur de verborum tantum virtute, certe Theophrasto tribuemus λέξεων ἀρετάς: I ςαφές, II καλόν, III μεγαλοπρεπές, IV ἡδύ, V πιθανόν, VI πρέπον.

Ne sic quidem satis distinctum est inter orationis virtutes: habemus simplicium verborum, habemus orationis continuae virtutes, addemus necessario virtutes compositionis. Demetrius 41: Θεόφραςτος παράδειγμα ἐκτέθειται μεγαλοπρεπείας τὸ τοιοῦτον κῶλον 'τῶν μὲν περὶ τὰ μηδενὸς ἄξια φιλοςοφούντων'· οὐ γὰρ ἐκ παιώνων ἀκριβῶς, ἀλλὰ παιωνικόν τί ἐςτι κτλ. quaedam fortasse Theophrasto vindicari possunt ex iis, quae Dionysius dicit de c. v. 11. 53, 8: ἡδύ, καλόν, πιθανόν, μεγαλοπρεπές, πρέπον etc.; sed singula in hac parte sunt incerta.

Egisse Theophrastum de orationis virtutibus trifariam, etiam testis afferri potest Dion. de Isocr. 3. 539, 11: καθόλου δὲ τριῶν ὄντων, ὥς φηςι Θεόφραςτος, ἐξ ὧν γίνεται τὸ μέγα καὶ ςεμνὸν καὶ περιττὸν ἐν λέξει, τῆς τ' ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων καὶ τῆς ἐκ τούτων ἁρμονίας καὶ τῶν περιλαμβανόντων αὐτὰ ςχημάτων κτλ. non uno loco de tribus illis, sed in tribus libris diversis actum esse ex his verbis profecto non possemus colligere; sed quoniam singulorum

[1] ἢ F; καὶ P [2] τὸ αὐτὸ F; τοῦτο PM

saltem verborum virtutes in Theophrasteo opere separatim tractatas fuisse e Simplicii verbis discimus, iam necessario sequitur alterius quoque et tertiae partis virtutes disiunctas fuisse. non magis potest mirum esse, quod Dionysius dicit ἐκ τῶν περιλαμβανόντων αὐτὰ σχημάτων; me enim iudice operis Theophrastei περὶ λέξεως libro altero imprimis actum est de orationis figuris — pag. 5 monstravi, quam copiose de his dictum fuerit —; nonne etiam praeter cetera ad quasdam virtutes orationis faciebant figurae? ordinem denique, quem habet Dionysius l. l., mutare non dubito, quoniam ipse Dionysius in iud. de Dem. iustum ordinem servavit: compositionis genera tractantur post genera elocutionis, ergo iis quoque, quae de compositione praemonenda essent, is erat locus.

Addo conspectum (cf. supra pag. 12):

Lib. I. de orationis elementis.

in fine: de singulorum verborum virtutibus (σαφές, καλόν, μεγαλοπρεπές, ἡδύ, πιθανόν, πρέπον).

Lib. II. de oratione continua.

in fine: de orationis continuae virtutibus (ἑλληνισμός, σαφές, σύντομον, μεγαλοπρεπές, πιθανόν, πρέπον).

Lib. III. de orationis generibus.

Lib. IV. de compositione.

in fine: de compositionis virtutibus (ἡδύ, καλόν, μεγαλοπρεπές, πιθανόν, πρέπον vel similia).

Lib. V. de compositionis generibus.

Vita.

Natus sum Hugo Rabe Hannoverae a. h. s. LXVII a. d. V Id. April. patre Augusto, qui ante hos XII annos acerbo fato mihi ereptus est, matre Iohanna e gente Geisenhof. fidei addictus sum evangelicae.

Postquam Hannoverae per novem annos Lyceum II frequentavi, maturitatis testimonio instructus vere a. 1885 Gottingam me contuli. autumno a. 1887 Bonnam migravi. docuerunt me vv. dd. Bechtel Dilthey Fick Goedeke M Heyne Kielhorn W Meyer G E Mueller Roethe Sauppe de Wilamowitz-Moellendorff Gottingenses; Bender Buecheler Foerster R Kekulé Loeschcke Nissen Vsener Bonnenses. Buecheleri Luebberti Vseneri egregia erga me benevolentia factum est, ut in seminarium regium philol. Bonn. reciperer, cuius per quater sex menses fui sodalis ordinarius. in seminarium historicum Nissen liberalissime me recepit. exercitationibus ut interessem benigne concesserunt Buecheler philologicis et epigraphicis, Kekulé Loeschcke archaeologicis, Meyer palaeographicis, Roethe theodiscis. quibus viris omnibus gratiam habeo maximam, in primis Buecheleri et Vseneri memoriam grato semper animo colam.

Sententiae controversae.

I. Licuisse Athenis servorum manumissiones in iudiciis pronuntiare nego; qui locus viros doctos in eam opinionem duxit (est in Isaei fragmento, Dion. de Isaeo iud. 5. 594: ἄγοντος αὐτὸν Διονυσίου ἐξειλόμην εἰς ἐλευθερίαν εἰδὼς ἀφειμένον ἐν τῷ δικαστηρίῳ ὑπὸ Ἐπιγένους), verba ἐν τῷ δικαστηρίῳ interpolatori debere videtur Romani iuris male memori.

II. Demosth. XX 131: ἔτι τοίνυν ἴσως ἐπισύροντες ἐροῦσιν ὡς Μεγαρεῖς καὶ Μεσσήνιοί τινες εἶναι φάσκοντες ἔπειτ' ἀτελεῖς εἰσιν ἀθρόοι, παμπληθεῖς ἄνθρωποι, καί τινες ἄλλοι δοῦλοι καὶ μαστιγίαι, Λυκίδας καὶ Διονύσιος, καὶ τοιούτους τινὰς ἐξειλεγμένοι. expuncto glossemate Λυκίδας καὶ Διονύσιος, quod ex insequenti paragrapho irrepsit, sana erit sententia.

III. Aristotelis Politicorum editor si solam vel insigni loco codicum classem signo Π^1 notatam sequitur, prave textum constituit. eclectica ratione usus unoquoque loco Π^1 et Π^2 examinet; saepius genuina lectio in Π^2 servata est quam in Π^1.

IV. Pessime egerunt Aristotelis Politicorum editores et interpretes, cum non solum singulas sententias sed etiam totos libros in alium locum transponerent. saepissime sententiarum conexum Aristotelis proprium parum intellexerunt; aliis locis permultis propter eius pragmatiae originem mutandum non erat.

V. Quaecumque Thesmothetis Atheniensibus officia praestanda erant permulta, non videntur toti collegio exsequenda fuisse, sed singulis Thesmothetis.

VI. Dionysii Halic. scripta rhetorica hoc ordine composita sunt: 1. epist. ad Amm. I et liber de comp.; 2. de oratoribus antiquis (de Lysia, Isocrate, Isaeo; de Demosthene, Hyperide, Aeschine); 3. de imitatione A et B; 4. epist. ad Pomp.; 5. de imit. Γ; 6. περὶ Δημοσθένους pars prior; 7. de Thucydide; 8. περὶ Δημοσθένους pars altera. liber enim, cuius mentio fit in libri de Thuc. initio p. 812 nequit esse pars illa operis de antiquis oratoribus, sed est liber deperditus περὶ Δημοσθένους.

VII. Sallustii Historiis continuatas esse Historias Corneli Sisennae nego.

VIII. Petron. c. 75: "tamen ad delicias femina ipsimi domini annos quattuordecim fui". Buecheler delet 'femina' et 'domini'. quid si scribendum est "tamen ad fĕmina ipsimi annos quattuordecim fui"?

IX. Errant qui putant Albertum Magnum quantulamcumque Graecae linguae scientiam habuisse.